CENTRALE V. E. II

6
19-b
116

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 F
47

6.-19. b. 116

Digitized by Google

M.

Grzbrzewski

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. SECTANI SATYRÆ

IN PHYLODEMUM

Cum notis variorum.

Pro Bibliotheca S. Norberti de Urbe

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

D.PROB.ROM.S.J.

COLONIAE, MDCXCVIII.

Apud Joannem Selliba. *Sup. permiſſu.*

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI.

[B]IBLIOTECA NAZ.
ROMA
[VIT]TORIO EMANUELE

Miraberis forſan, ſtudioſe Lector, quod jam tot vicibus ubique terrarum Typis mandatis Q. Sectani Satyris in Phylodemum, eaſdem denuo meis Prælis in lucem edi curaverim. Scias tamen, quod laudabilis quædam ambitio ad hoc me impulit; ut

Digitized by Google

nimirum ſudatos tanti Viri labores ab omni menda, quantum potui, expurgatos, & notis accuratiſſimis auctos, tibi ante oculos ponerem. Quod ſi mihi feliciter acciderit, laborem hunc meum non parvum laudis apud te promeriturum pro certo ſcio. Vale.

Digitized by Google

Q. SECTANI
SATYRA PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IBam forte ſacri nemoris viſurus Aſylum,
Arcadiæ nuper quò conceſſere Camænæ
Unanimes. Longo pertæſum calle ſalutat
A læva Philodemus, homo mihi nomine tantum
Notus: & oh, dixit, totâ quæſitus in Urbe
Ut bellè occurris! ſimul & contingere dextram,
Et palpare humeros cœpit, nomenque (1) ſodalis
Impoſuit, geniumque meum quaſi curuus adorat.
Quorſum hæc? mecũ ajo: meditantẽ reddere verba
Officioque pari jam reſpondere paratum
Occupat ille prius. Via quà te ducit ad umbram
Parrhaſiæ, ni fallor, ſilvæ hæc eſt, ubi doctus
Dyndimus, & fruſtra Lalage dilectus Jolas,
Æquore cum primum tinget vaga lumina Phœbus
Innocuos luſus, & blandæ Amaryllidis iras
Cantabit, viridis circum myrtheta theatri.
Centum ibi Paſtores aderunt, centumque videbis
Succenſos ſtimulis animos, & laudis amore.

Hic tu ne fueris (bibulæ quod proximus auri
Ingerit : & voluens ter circum lumina) quando
Nemo, ait, importunus adeſt, qui dicta relegat,
Ut noſtri eſt moris, conabor ne tibi falſa
Imponat rerum ſpecies ſub imagine veri ;
Quemq; bonum faciles animum, mentemq; dedere
Dj tibi, ſi pateris, pulsâ feritate levabo.
Sunt etenim noſtro cognatæ pectore quædam
Recti [2] Particulę, divinaque ſemina Honeſti ;
Quæ niſi ſeu ſapiens cultor, ſeu *lumen* amicum
Impellat, tubuliſque ſuis erumpere cogat
Fœda ſitu marcent, & corde putreſcit agreſti
Pars animæ melior. *Nunquam natura novercam*
Induit : æqualis Therſitæ, æqualis Achilli ;
Sed quia caudato docilis parère magiſtro,
Hic fuit everſor Trojæ curruque ſuperbus
Terruit Iliades regali funere Matres ;
Et laribus patriis avulſa Trophea refixit.
Hic ego reſpicio in vultum dicentis, & ora
Tergo manu, ſpiſsâ quæ ſparſerat ille ſalivâ
Dum furit, & toto largus pulmone caleſcit ;
Dicturus quoque neſcio quid; ſed cominus inſtat,
Nec juvat ire modo ocyus : interdum retro ſenſim
Ferre gradum; tenet, & me oculis diſtringit apertis,
Ac majore tuba ſermonem orditur, & inquit.
Maxima pars hominum pallet formidine Divûm,
Cum templa, & ſacræ jaculantur fulmine turres ;
Nec pudet ante aras, delubraque ſurda paciſci
Mille Animam votis : tuti velut otia Cœli
Sollicitent caſus, noſtræque pericula vitæ.
Hos ego non tantum pecudes ratione carentes
Expungo ſapientum Albo, quos vana coercet

Relligio, cæcâque ſuperſtitione laborant.

Num ſanus fuit ille, Jovi qui fervida primus
Tela dedit, flammamq; ſacram noſtriſq; minacem
Frontibus impoſuit dextram, mentemque ſeveram
Quælibet humani ſcrutantem crimina cordis?
Haud equidem credo; ſed rerum inſcitia torſit
Principio mortale Genus, gelidoque medullas
Terrore implevit; noſtra eſt dementia Cœlum,
Noſtraque de Cœlo fecit formido Tonantem.

Ima quòd aſſultent Telluris, quod mare Cauro
Frendat, & obſtantes rumpāt vaga fulmina nubes,
Si bene quis noſcit cauſas, rerumque figuras
Deſinit ulterius mirari; nec trabe fractâ
Naufragus extremis rediens Mercator ab Indis
Divorum caligas votivo perlinit auro.

Scilicet aut nullus Deus eſt, aut immemor uſque
Quidquid agant homines, tutuſque idemq; beatus
Ambroſiæ latices, & longa oblivia potat;
Nec noſtro, aut fletu, noſtrâque cupidine, & irâ
Flectitur. At clamant [3] Salii, veh Numina lædis,
Si tibi forte placet laribus vicina Puella,
Seu Puer intonſus, ſeu vis non publica formæ
Molle jecur fixit; nempe altum fœdat olenti
Rana Polum urinâ, cimexq; Elephantā momordit.
At mihi compreſſis properabant verba labellis
Juſſa diu ſtare, & ventoſum calcibus utrem
Tantum non petii, qui dictis cedere Numen,
Telaque non ſtolidi potuit merviſſe Tonantis.

Unde cucurbitula hęc eſt? quò (mecũ ipſe loquebar)
Orta parente, Deos qui temnit, qui mare Cœlo
Miſcet, nec ſecum conſtantia verba profatur?
Ni fallor, Calabrum veſanæ audacia frontis

Accuſat [4], taboque oculis ſtillantibus acri,
Et blattis, tineiſque genam corroſus utramque,
Omnibus oſtendit quam ſit non integer intus.
Senſerat ille prius quas vento jecerat, offas,
Nec capitis nutu nobis, dictiſque probari,
Attamen expectas perfictâ è fronte pudorem?
Ante verecundus fornix, pudibundaque lena, [dixit,
Quàm Calaber. Sequitur, prehensâque manu, ò ſate
Temporibus queis nulla fides, ſi perlita cocco
Lana tibi placet, & comitum longiſſimus ordo,
Si ſella, & curru vectari turbidus alto,
Indue Romanos mores, dediſce vereri
Quas tibi dictavit de Religione puſillo
Fabellas puero genitrix, & anicula nutrix.
Sed quoniam recta audire, & meliora recuſas,
Primo diſce loco quædam civilia vitæ
Præcepta, atque animo ſapiens nunc accipe puro.
Nos etenim [puto jam noſti] docti ſumus, & quos
Socraticâ cœpi tractandos molliter arte,
Sordibus emergunt vulgi, totâque probantur
Urbe. Faber veluti qui duro è marmore Nymphas,
Et teneram fingit ſtantem propè ſtagna Dianam.
Pauca tibi dabo quæ teneas; his tramite recto
Quoque voles ibis. Multos cole pronus amicos,
Et magnos, quibus eſt aliquid corradere; lucrum
Si deerit, mora nulla, alios pete: ſemper habebis
In promptu cauſam. Socio ſi cernis amore
Pectora conjungi, pulcrâque cupidine mentes,
Tu propera, & tacitus quæ ſint aptiſſima cerne
Semina diſſidii; alterius mox defer ad aures
Hauſto quæ ſocius dixit, fecitque phalerno,
Et tirendas animi retege; ut meretricis amorem,

Jactus

Jactus talorum rixas finxiſſe juvabit;
Multa, ubi vera tibi deſunt, quæ opponere poſſis.
Cùm ſemel illius furtivo pectora felle
Cœperit, & tenerum diſcordia rumpere fœdus,
Hunc,atque illum verbis palpa,& gnavus utrumq;
Junge tibi; *Pyladi carus dum vivit Oreſtes,*
Nec Pylades lucro eſt,nec quidquam donat Oreſtes.
Hoc quoque præſtabit multum, ſi nactus amicum
Et juvenem,& tumidum fortunæ divite cenſu
Arte coles. Lauda indoctum, ſi carmina gaudet
Pangere, Virgilius, Naſo, molliſque Catullus,
Judice te, cedant: primas nec Lesbia jactet,
Neque Corinna ſuum vatem, nec Paſtor Alexis.
Mane novo dum ſtertit adhuc reſupinus, & efflat
Externæ ſordes cenæ crudumque phalernum,
Ante fores perſta, & matulam ſi poſcerit ille,
Tu prior ingredere, officiiſque puer,cave, vincat.
Percontare juvat placidâ num membra quiete
Solverit, an variâ turbarit imagine mentem
Somnus; mox animum dictis, & pectora mulce,
Dum ventrem exonerat; narra ſi contigit uſquam
Urbe novi. Viduam prægnantem fecit Aruſpex
Pontinius, toto dum monſtrat ſydera Cœlo
Fauſta,Ducemq; aliquē ſpondet,Regemq; maritū.
Gellia, cui natos ſeptem, totidemque puellas
Lucina indulſit, juveni nupſiſſe Batillo
Dicitur, & cani nulla eſt reverentia cunni.
Septingenta Lupo debet Sertorius; omnes
Ille tamen vicos luſtrat, molleſque cathedras;
Et geminos agitat mediâ de nocte caballos;
Quin ludis, ſcenæque vacat, dum paupere menſâ
Durum mordet olus grandis cum conjuge nata,

Et

Et rarus vacuâ ſuſpirat nummus in arcâ.
Dic etiã ſacri quid agant propè[5]marginis undã
Arcades, & ſilvâ profugos migrare propinquâ
Finge tibi auditum; nullum ſit denique dictum,
Aut factum, totâ quod non quæſiveris Urbe,
Quæſitumque tuo ſtudeas narrare ſodali.

Nec tibi turpe puta tabulas, ceraſque loquaces
Clam ferre ad Dominã,dives quas ſcripſit adulter.
Hoc tamen ut facias, moneo, perſæpe rogatus;
Difficiles aditus, & aperta pericula cernat
Ille, licet non ſint; differ vadimonia, longas
Necte moras; lentâ ſic flammâ tortus Amator
Plus tibi debebit cum dulcis venerit hora.

Sunt etiam nonnulla,quibus -- me mingere ſodes
Permitte. Ut libet, expecto. Sed me quoq; venter
Urget; eam obſcuri quà flectitur orbita vici.
Commodior locus hic;ſequar.At ego currere cæpi,
Atque utrâque manu femoralia laxa tenebam,
Non aliter quam ſi lactucæ & lubrica malva
Arida pulſarent humenti viſcera ſucco.

Sic tandem evaſi petulantis vulnera linguæ,
Et Divùm everſorem hominẽ, ſanctique pudoris;
Servatamque Animam puduit debere latrinæ.

NOTAE.

1. *Academia Philodemi Neapoli erecta, cui nomen dedit Sodalitium.*
2. *Philoſophia quam ſequitur Philodemus.*
3. *Nomine Saliorum zelatores homines, puta Sacerdotes deſignat.*
4. *Facies Philodemi deſcribitur.*
5. *Locus ubi Arcades modo conveniunt.*

SA-

SATYRA IJ.

HOc etiam [1] Philodeme tuis ſtultiſſimè rerum
Ampullis deerat, mentiſque furoribus, ut quæ
Scripta tuos mordent non falſo carmine mores,
In titulum, laudeſque tibi ceſſiſſe putares!
Naſcitur à Satyra ſi gloria, gloria probri
Næc eſt, digna quidem Calabris accreſcere faſtis.
Sed quoniam tibi vanè places, populique per ora
Traduci gaudes, tunicati murmura vulgi
Empturus famæ prætio; faciam ut ſale multo
Inſulſum Caput aſpergam, calamoque revellam
Quæ tibi de medio jecore exierat caprificum.
Quamvis nulla meas commendet gratia muſas,
Nec latio ſermone loquar, multâque notandus
Menda [3], ſub ferula merear pallère magiſtra,
Dicite Gramatici, quæ ſit prò crimine pœna
Digna meo, quoties curto pede ſyllaba peccat?
Sed lex interea veniat Scatinia contra,
Et petat Ædilis quæ ſit tibi cauſa dolendi,
Thelefus ingenuo cum tè non reſpicit ore,
Et quoties Charinus abeſt, cui floſculus Ævi
Purpureas dubiâ pingit lanugine malas.
At tu nil trepidas ſub Judice, præmia poſcis
Quin potius; [3] docta nam ſpargis *Luce* tenebras,
Et molles fingis Juvenes, magnoſque Poetas
Eſſe jubes; cupiant tantum, manibuſque teratur
Pindarus aſſiduis, [4] & mucida fruſta Lucreti,
Protinus è Cœlo deſcendit flavus Apollo
Imberbes hedera vultus redimire paratus,
Cum nil putidius verſus ſcribente Cinedo;

Tu

Tu tamen exultas, quid diſtet ab inguine laurus,
Neſcius, in triviis Carmen componere natus.
At nuper tumidus Rhedâ vectaris in una
Cum Tito, & Cithiſo, Nomentanique Nepote,
Hinc atque inde patens ſpeculis vultuq; ſupino
Invidiam nimbo madidis facturus amicis,
Quorum ſæve Urbis ſpurcos terit ungula Vicos;
Nos tamen ipſe prius detectâ fronte ſalutas
A longe, jactaſque manus, geſtiſque videri;
O pulcher, lepiduſque ſimul! facis eſſe beatos
Quos cernis, nutuque procul dignaris honeſto,
Longo nimirum prognatus ſanguine Patrum,
Congeſtoque potens centeno Conſule cenſu,
Arbiter es Populis, & vultu Fata miniſtras;
Credimus hoc omnes qui tè natalibus ortum
Novimus anguſtis alienâ vivere quadra;
Quin latrat incaſsũ ſtomachus, niſi menſe peracto
Plæna [5] Tarentino feſtinet Epiſtola ſoldo
Venturus Romam Porta tranſivit eadem,
Quà [6] ſubiſſe ſolent Tyberino colla capiſtro
Debita, ab Etruſcis meſte comitanda Galeris;
Hoc mihi ſufficiat, nec multum ſcire laboro;
In ſpeculo faciem cur tantum ſtulte procaris
Ipſe tuam, & falſi placeant mendacia vitri;
Cur [7] jactes pueri ſeptem trieteridis ævum,
Dum tibi lux uriat terro gravis hircus in ore,
Armentique atavus non faſſos computat annos;
Infelix formæ ſtudium, quæ nata maligno
Sydere non madidum pané, aut unguenta meretur!
Illa ſuburbanis potius figatur in hortis,
Obſcænique vices ſubeat laſciva Priapi,
Villicus ut cupidas poſſit terrere columbas

A Ci-

A Cicere, atque fabis, & ſtoica prandia creſcant.
Sed quis ferre queat numeros & verba ſonantem
Grçcorum[8]aſſiduè?duo vel tria nomina ſunt,quę
In ſcholis didicit nondum barbatus achivis,
Et tamen infelix tanto ſub judice Homerus
Vapulat, & miſera nutant in fronte corollæ.
Pergama quid proſunt, quid cæde piatus Achilli
Patroclus hectoreâ, ſi poſt tot ſæcula famam
Eripuit Calaber, nec dicitur amplius Heros?
Græculus hæc audet, forſan majore cachinno
Dignus, dum totam ducit per compita nonam,
Et [9] matutinis, veſpertinuſque pererrat
Garrulus, & comites adhibet, creditque videri
Antiſtes Themidis, juris legumque peritus,
Cum nunquam vetulo cognatas codice blattas
Depulerit, mureſque arrodant undique Baldum.
O Toga,quæ ſacrum cingis pudibunda Bidental,
Si tè Romani tangit jactura decoris,
I præcor immundis augere peculia verpis,
Nam ſatius nummo præſtabis fœnoris uno
Pendula per vicos, & rupto marcida filo,
Quam ſordes ignava pati, dicique per urbem
Te Phaleras tardis præbere, & ephippia onagris.
Fallimur, ecce liber Corvini pumice mundus
Perque[10] manus volitat multo circumlitus auro
Deſuper, & cultæ ridet membrana tabelle;
Author quis?Phylodemus erat. date ſerta Camęnę
Inſano[11]capiti, Satyro ſed qualia Phœbus.
Non hic divinæ dictat præcepta Poëſis,
Sed ſtertit caules, & fixâ ſinciput aure
Somniat, & ſcribit. Calamum quis temperet illi
Dum ſibi blanditur, dum corda inflata perurit
Ver-

Verborum urtica, & ſcabies malènata loquendi?
Te [12] contra Endiminion voces effudit amaras,
Teſtaturque Deas, & ruſtica Numina ſylvæ,
Non oculi Phebæ, telumque cupidinis illum
Ridicula Appendix, poſtremaque pagina tangit,
Scilicet immeritam non parcis perdere cartam,
Et regnare putas ſi cum Pedone ſuſurrans
Criſpulus, aut amens Rullus tibi dixerit, ohe(phos,
Macté[13]animo Phylodeme, novos meditare triũ
Roma tua eſt. Violæ jam jam naſcuntur in hortis,
Blanda Palatini quas educat aura Favoni,
Ut tibi demiſsâ ſubſternant fronte colorem;
Te cupiunt Proceres, nullàque ſileris in Aula.
O miſer egrotâ putruit cui mente ſalillum,
Aude aliquid Patria dignum triclinia mappis
Fas ſpoliare manu; calices, coclearia, lances
Carpe, nec impunè niteant ſub nocte lucernæ,
Argutumque levis fugiat nec cantharus unguem.
Sed mentem nunquam ſubeat tam dira libido
Scribendi; non hæc meruere piacula carte,
Mitior eſt illis ſcomber, murena, piperque,
Et crocus, & betæ, manibuſque ſalarius unctis,
Quam vecors calamus digito tractatus inerti.
Si Sapis, & teneras poſthac dimitte ſorores,
Et leges magnumque ſophos, nec divitis aulam
Ullius ingredere. At quid agam? cape tutus amici
Conſilium, [14] raucoque comes accede Bagoè,
Odryſias vendit qui caſſus lumine clades,
Atque albam in circo docuit ſaltare Catellam;
Sit mitis tibi cura feræ, vultuque magiſtro
Præcipe ut oſtendat pueros quos micturientes
Invenit in lecto genetrix, injuſſaque gutta
De-

Decepit miſeros, medioque ſopore fefellit.
Hæc græcos audire ſonos (mirabile dictu)
Et Cytharam diſcet te Præceptore ferire,
Diſcet & arguto capitis deprehendere nutu
Qui ligurit patinas, uno qui grandinat hauſtu
Cecuba, quique domi pulcrâ cum conjuge dormit.
Sic (quod ſumma boni eſt) plauſus riſumq; parabis,
Cruſtula ſic poteris corradere, & æra minuta
Dum capies ſtolidum meritoria bellua vulgus.
Aut fora te videant, ubi nuda, & candida ligna
Quatuor [15] effundunt ſpatioſo flumina labro;
Illic ingenio, & quà polles Græculus arte
Utere, ut attoniti ſuſpendas ora popelli.
Sed placeat pictam (non eſt res ardua) telam
Elatâ monſtrare manu, turbamque ciere,
Atque [16] ubi ſe in girum collegerit, exere vocē.
Hæc eſt Quartillæ effigies: formoſa puella
Dilexit nimium ſuccenſa libidine ephebum,
Contempſitque Deos, nunc illam torva flagellat
Theſiphone, & fruſtrà clamantem mugilis intrat.
Quæ mala non peperit ſæva indulgentia matris?
Prò Penſo ſpeculum tractat, feſtiſque diebus
Inſpectura Procos, pendet Quartilla feneſtris,
Et laudat cultos juvenes, laudatur ab illis,
Nec genetrix tantos audet compeſcere luxus;
Interea gemmas, & munera pronuba amoris
Portat anus: duræ pacantur munere portæ,
Et ſanctus pudor inde fugit; ſed vindicis ira
Numinis ante diem, primàque ætate peremptam
Ad nigros jubet ire lacus, & tartara; matres
Diſcite non ſpeculum, ſed Penſum tradere natis,
Nec fora, ſed feſtis ſubeant delubra diebus.

Mox

Mox ſequere, & virgâ ſignans ex ordine caſus
Quotquot erunt, narra præciſam fulmine dextram
Ciconio, ſacras dum ferro irruperat ædes,
Impius argentum rapturus, & aurea vaſa,
Percuſſumque caput Cottæ, qui guttura Patris
Jam ſenis invaſit ſcelerato barbarus enſe,
Et tumidi fruſtrà nudantem pondera ventris
Calcavit gravidam nono jam menſe ſororem.
Hæc tibi mirificis poterunt augere figuris
Argillam figuli ſpurcare coloribus apti,
Dum liniunt udis non cocta fictilia pennis;
Ipſa tamen fient cara inſtrumenta lucelli,
Atque etiam plauſus; poſitis nam currere ciſtis
Umbricium, Maculonem, Tongillumq; videbis,
Quiq;Pirum,dulceſque nuces & coctona vendunt.
Hoc tantum Phylodeme tui ſperare jubentur
Ingenii vires, curta & prudentia; doctum
Uſque huc te novi; quod ſi majora parabis,
Non deerunt ventris crepitus, ſævique cachinni,
In faciem crebras imitataque dextera vulvas.

Notae.

1. *De Satyris gloriatur Phylodemus &c.*
2. *Errores multos tam Grammaticæ quam Proſodiæ ſe inveniſſe dicit in Satyris &c.*
3. *Sententia Phylodemi de luce univerſali &c.*
4. *Omnes Authores damnat præter Pindarum, & Lucretium &c.*
5. *Cauſam Tarentinam patrocinatur Phylodemus &c.*
6. *Porta S. Ioannis in Laterano quam fuit ingreſſus Phylod.*

7. Se

7. *Se facit annorum viginti, cum numeret quadraginta ſeptem &c.*
8. *Græcos Authores indoctis commendat &c.*
9. *Qualibet hora volitat per Urbem, ut comites inveniat &c.*
10 *Dialogi Phylodemi, quibus titulus; earum pondus &c.*
11. *Satyro Marſiæ, ſcilicet quem excoriavit Apollo &c.*
12. *Phylodemi diſcurſus in Comediam Endimionis, in quò ſe Bionem appellat &c.*
13. *Amicos habet adulatores &c.*
14. *Circulator in Platea Agonis &c.*
15. *Celebris fons in eadem Platea &c.*
16. *Mores à Circulatoribus ſervari ſoliti &c.*
17. *Homunculi vagantes per Plateam Agonis vulgo* Birbanti *&c.*

SATYRA IIJ.

Ecce iterũ ventoſus adeſt Phylodemus, & auras
Eructat ſtomacho crudus. Date pocula muſæ,
Cardiaco tumidam quæ diro è corpore peſtem
Expurgare queant: medicæ non inſcius artis
Ipſe quoque accedam collíria pauca daturus.
Eja age fer calamum Ligurine; en tertia ſurgit
Pagina, & inſonti creſcet damnoſa Papyro;
Sed trepido; nam clara Phalanx umbone coruſco
Fulminat,(1)& ſacri qui dicor carminis author,
Ultra Sauromatas, & barbara littora Ponti

Expellor; nimium ſevis Phylodeme, ſodali
Parce tuo. Neſcis veniant quà parte ſagittæ,
Unde tamen veniant, tuto jaculantur ab arcu;
Et vacuos ridet, quibus ureris ipſe furores.
Illum (2) non teneri frangit vindicta Cynædi,
Nec pavet aereas ſellas, & ludicra regna,
Queis tantum veſane tumes, populumque coerces;
Quin ſatyræ ſatyram addo. Tu præputia duces
Interea, & ſpiſſo motu, dulcique ſaliva
Subtus palliolum lævam laſſabis amicam.
Scribimus hæc animo dociles, ſtudioque juvandi,
Si patitur morbus dextram, curamq; medentis;
Sed vereor tanto ſcateat ne puſtula tabo,
Ut deſperatæ potius nocitura ſaluti
Mollia Cyrrei ſudent opobalſama trunci.
Stultitiæ, mihi crede, tuæ non ultima pars eſt
Invidiæ ſatyram tribuiſſe. Accede parumper
Dũ vacat, & noſtras placeat Phylodeme Camenas
Dignari auditu; expectent Labeo Cythiſuſque.
Invidiæ fortaſſe patet longeva tuorum
Nobilitas, medioque foro Pater-ęneus, & quæ
Pallidulis implent umbris alabaſtra ſorores?
Sed clamat mater gelidi prope fluminis undam
Dum tondet pecudes, reſolutaq; pondere ventris
Te fertur genuiſſe. Cadit cum forcipe lana
Protinus è manibus, gemitumq; dedere capellæ,
Nam gravis illa tui quo menſe anguilla colubris
Jungitur, & ſtriges coeunt, nigroque camino
Lurida ſquallentes celebrant Connubia Larvę,
Lucinam extimuit venturi præſcia partus.
Invideant tibi nunc tria nomina Gręcule vecors;
Naſceris è cęno; viliſque inſignia gentis
Mar-

Marra fuit, patrioque in ſtemmate fulget Aratrum;
Verius hoc nemo Paſtor deſcribitur Archas,
Qui pecus umbroſò didicit compellere ſaltu
A puero. At titulos Regina pecunia donat,
Et genus, & proavos, ſordeſque parentis honeſtat.
Vera quidem narras: fulvi imperioſa metalli
Hęc datur in nobis, ſemper dabiturque poteſtas.
Hęc mihi nota quidẽ, loculum ſed concute, ſodes,
Nil ſonat hic, vacuaſque inflat veſſica crumenas;
Nec tibi ſunt caligæ, nec tritus cimice lectus,
Nec toga, nec foculus vilis, nec cantharus eſſet,
Quò caules oleo poſſis cęnare perunctos,
Longa nimis fœdi colerent ſi ſabata verpi.
Tunc Baccon manibus caderet, fruſtràque doleres
Dilectum Româ nimium diſtare Tarentum.
Vix (3) igitur maculo, quem fornice nata Suburrę
Enixa eſt meretrix obulo vulgata pudorem,
Quique locat naſum purgandis ſepè latrinis,
Divitiaſque tuas, & magnos invidet ortus.
Invenit tandem quâ livida pectora fervent
Invidiâ; fas eſt audire. Potentior auro
Virtus, & recti ſtudium, Cyrręque voluptas
Innocua, hoc genuit plebejo in corde venenum,
Nec patitur noſtrum ſubcreſcere nomen in aula.
Mentis inops, genio quantum blandiris inepte
Ipſe tuo, tenueſque placent fabricata per auras
Caſtella, & lubrico ſubſtructę pulvere Turres!
Plenius (4) ac melius ſcribit Pręceptor Amillus,
Quę pueri diſcant, & cedro dignior eſſet
Hircorum (5) barba impexa, & vindemia Rulli,
Buccolica, (6) alterniſque tuis ſermonibus. Ergo
Quas fœdas miſerâ noctes vigilante lucernâ,

Non minio poſt hac, auro nec perline cartas,
Quidquid & illud erit pſallendum trade Bagoe;
Infans jam didicit, didicit muliercula Budam,
Strigoniumque canit reſidens in fornice Pellex;
Hiſtoriam tù conde novam, qua notus in Urbe
Auriculas linias vulgi, & ſuffragia captes.
Sed meminiſſe juvat, cum magnos inter Ephebos
Enormis facies, & ſtercore fœda canino
Fulgebat populo ſpectante, & plebe togata,
Ceu fulget patulo ſiccus petaſunculus auro
Divitis in Cœna Ulpidii & potoris Amalthi,
Convivæque dolent ſpurcari lamina lardo;
Illa dies ſolito formoſior extulit undis
Lumina, & umbroſis adſtarunt collibus omnes
Arcades, attoniti vomeret dum carmina rauco
Gutture, & obſceno cruciaret verba palato;
Credideram ſoli manare poetica mella,
Atque aliquid tantâ dignum noviſſe coronâ;
Verum ubi compoſitis ſiluit curioſa labellis
Turba, (7) cano ſtertens numen deducitur antro;
Pan erat ille, vacans nimium, nec pocula dignus
Lambere, quæ cupido miſcet Pincerna Tonanti,
Si Calabro vati patientes commodat aures;
Poſt hæc (8) indignis virgo religata catenis
In ſcenam trahitur; dextra tenet illa Tabellam
Qua nemus, & cultæ glebæ, quâ culmina & urbes
Cernere erant, pedibus nudis animoſa virago
Inſiſtit globo. Sequere ò Phylodeme, voluptas
Magna oritur nobis, denſique adſtare videmur
Parva (9) ubi venali pendent Anabatra Tigillo,
Artificiſque manu riſu excipienda moventur
Corpora, quæ tenui quamvis finit pendula filo,

Non

Non anima credas humana, aut voce carere ;
Haud aliter ſtulto miſcens contraria nexu,
Apponis vario fumantem pulte catinum ,
Ridiculaſque facis coram ſaltare figuras,
Mébra quibus deſunt,& vox quoq; cóſona mẽbris;
Sed melius ſcurræ, mimi, pupæque loquuntur,
Ambubajæque docent, quæ ſint diſcrimina vitę
Mortalis, quę ſint vitanda, quid utile , quid non,
Quam tuus ille Deus, cui molles rumpere ſomnos
Niteris ; i balatro atque homines imitare puſillos,
Ut ridenda minus recitare poemata poſſis.
Hactenus invidię non es ut credo daturus
Carmina, quę paſſim laudat ſtudioſa juventus.
Nullus enim turpem faciem, corroſaque mure
Invidet ora tibi, cenſum, patriamve, genuſve,
Non calamum, vanęque tuę deliria mentis;
Ni forſan ſancti, & tuti ſub judice mores
Impia ſacrilegę renuunt faſtidia plebis .
Credo equidem; roſeo nam te non pellicit ore
Thelephus, & Cythiſo delibas oſcula tantum
Officii cauſa, tenſo nec pallia pene
Subſultant, quoties contractas pollice amico
Vernantem, & crebro levem ſine pumice malam;
Quin ſceleris purus violas ſecreta ſodalis,
Nocte domos ſubiſſe ſoles, corrumpere ſervos,
Velatumque ſtola Quartillę lambere cunnum .
O naſci dignum quò nondum debilis ęvo
Argilla meliore homines natura creabat !
Non bene nos inter vitę tam ſancta moratur
Simplicitas, luxus, ſcortilla, atque alea pernox
Nos tenet, & mundę victus, nidorque popinę;
Sed te nil horum movet, & contingere mentum

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMANU

Sępe putas Titi dum tractas mollius inguen,
Dulcis, & ambiguę placet ignorantia dextrę.
  Quò me Phœbe rapis? prudentius attrahe lora;
Scilicet (10) & tempus veniat cum tecta foreſque
Ornantur lauro, ſpurcoque colore feneſtrę,
Cum percuſſa levi reſpondet Bractea vento,
Et captiva nitet croceo candela papyro.
O ego caſtalio nunquam de fonte liquores
Guſtaſſem, & ſicco tranſiſſem pocula labro;
Tunc etenim tumidus ſacro Phylodemus ab oſtro,
Atque Tarentina(1)quam fabricat ipſe thiara,
Dilatas ſumet noſtro de carmine pœnas,
Et quicumque meas dignatus lumine muſas
Riſit, Hiperboreos exul mittetur ad axes.
Jam tenet ipſe manu calamum, ceramq; capacem
Qua(12)proſcriptorum ſcribuntur nomina, jamq;
Carnifici fero, & media de nocte loquutus,
Et quid, ait, ceſſas? opus eſt tibi cannabe, multas
Ut ſuſpenſa graves ſubſtentent tigna choreas.
  Quid gemis Ulpidi? comites tibi ſortis iniquę
Nō deerunt. Trahitur manibus poſt terga revinctis
Ecce Lupus, mutuumque negat Sertorius aurum;
Venit & Arturus ſparſis à fronte capillis
Ut ſolet, & laxâ malè pes fulcitur alutâ;
Gargiliuſque ſuę diſcedens multa puellę
Committit, timiduſque lares, & numina adorat
Fornicis. Oh quanta eſt miſerorum turba! Fabullus
Criſpulus, & Capito, Tullus, Quintilius, omnes
Ad centum cellas operi damnantur, & Urbem
Fruſtra reſpiciunt, oculiſque abeuntibus optant.
Ipſe quoque expellor, tenerę mea gaudia muſę,
Voſque valete diu Nimphę, nemoriſque receſſus.

Par-

Parrhaſii; tonat, ecce tonat Phylodemus ab arce
Tarpeja, multumque inflatus imagine Regni,
Exul abi, clamat; laurus, & ſerta prophana
Non benè defendunt veſanam à fulmine frontem.
Jam propero; liceat tantum mihi dulce malorum
Solamen, comiteſque fugę portare Lucreti
Carmina, nec patiar te Pindare amate manere.
O mihi ſi ſaltem Baccon Verulamius eſſet
Exilii ſocius, quam forti pectore ſyrtes,
Extremaſque plagas, & inhoſpita littora ferrem!
O Caput! ò melius ventoſa Cucurbita! faſces
Romuleęque ſolent collo laſſare ſecures,
Gręcula quos Romam Provincia mittit Alumnos.
Tù poteris ſacras Regni contingere vittas
Illotis manibus? credo hoc ſi Roma Deorum
Vltima cura foret; veniat ſignanda lapillo
Sardonico expectata dies, quid inde? culinę
Pręficiet dominus Phylodemum, aut ordea mulę
Cribrare, & phaleras, bullaſque polire jubebit.
Hęc tuę erunt artes. Pueris nunc divide molles
Caſtaneas, fœtaque hedos à matre rubentes,
Vilis ubi crepitat lenta ſartago favilla,
Incruſtatque macro Romana Palatia fumo.
Rectius hoc, propriuſque tibi, quam mente futurũ
Concipere Imperium, Scauros, Salioſque creare,
Atque inter caros partiri munera amicos;
Munera quę Rullum titillant, & Labeonem,
Et qui (13) gibboſó feriebat nubila dorſo,
Dum ciet alatos centum ſuper aſtra jugales
Rore caballino paſtos, ſalſiſque cicadis.
Hęc coria, ut libuit, taurinis follibus infla.
Exilium, ſyrtes, laqueos, ergaſtula, fuſtes,

Cęteraque attonitę narrabis ſomnia plebi,
Ad madidas ſtatuas, graviori digne catena,
Quam tua (14) poſt talos quatiebat nimica virgo.

NOTAE.

1. *Accademia Luminoſorum à Phylodemo inſtituta cujus Principem ſe jactat &c.*
2. *Amicus Phylodemi qui vindictam quamdam meditatur &c.*
3. *Viliſſimus homo vulgo* Birbante *&c.*
4. *Pedagogus quidam &c.*
5. *Carmina cujuſdam amici Phylodemi de Hircorum barba, & de Vindemia &c.*
6. *Æglogam Phylodemus recitavit in Arcadia, quam nemo percipere potuit &c.*
7. *Ejuſdem æglogha tricas &c.*
8. *Alterum Phylodemi carmen in quò virginem catenis vinctam repreſentat &c.*
9. *Comediæ in platea Agonali paſſim repreſentari ſolitæ, vulgo* de Burattini.
10. *Futuram Cardinalium renunciationem Phylodemus ominatur.*
11. *Phylodemus Magnatem quemdam, cujus ipſe agit Romæ negotia, Cardinalem fore prò certo habet.*
12. *Carta in quà ſcribuntur nomina damnatorum ad Triremes.*
13. *Carmina deſignat alterius amici Phylodemi, in quibus canit centum equos alatos ſe ducere ſupra nubes.*
14. *De eadem virgine ſupra dicta loquitur.*

SATYRA IV.

MAne novo Baldi fruſtrà vigilante lucerna
Dum(1) ſtertit Labeo, Rutilumque incurvat Amator,
Et (2) pretioſa fovet ſaliorum culcitra rhoncos,
Membra toro abripui; Bizantinâque lacernâ
Indutus, Pimplæ Nimphas ad Plectra vocabam.
Venerat inque manus tritus de more libellus,
Neſcio quis nugarum, contractuſque legebam;
Nam rore Autumni, matutiniſque pruinis
Frigidula intrabat malè ſatas aura feneſtras.
Ecce lupus,(3)cunctas qui torquet amore puellas,
Inter cirratos quò non pręſtantior alter
Flectere (4) romano geminos temone jugales,
Ante oculos ſteterat, dextrâq;amplexus Amicum,
Et quid, ait, (5) tibi cum Libris, calabroq; Bione
Semper, & exerto calamo promptiſque Papiris?
Crede mihi tanti non eſt Philodemus, ut altum
Eripiat tibi ſomnum, & dulcia tempora perdat,
Quin precor ut Satyrâ abſtineas, & vindice muſâ.
Ille etenim linguæ pedicas, moreſque nocentes
Exuit, (6) & vetere Philodemum, ſacra Deorum
Feſta colit, vetitis, obſervandiſque diebus
Piſciculos macrâ nunquam cenare patellâ
Aſſuetus, ſtomachum muriæ perfundit aceto,
Et gula conſpecto ſuſpirat avara macello.
Quoque loco ſurgat Templorum diſcere limen
Incipit, & parvos ſub pollice digerit orbes
Fraſſineęque ſonat fluxu pia dextra Corollæ.
Euripides, (7) Zenofon, & quidquid fęcis achee
Pejus

Pejus olet, quodque ipſe furens portare ſolebat
Ut legeret ſi forte Deum delubra ſubiret
Carminibus ceſſere ſacris, meſtæque Sioni
Sępius illacrimat, dum regia culpa piatur,
Sanctaque Jeſſei laudat ſuſpiria vatis.
Denique cum Superis egit ſe mitius, & jam
Antiquum vano ſpoliavit Numine Fatum;
Dilectumq; (8) jubar, luciſque crepuſcula damnat
Semina virtutum, quâ noſtro in pectore naſci
Credidit ut leto Gallæ naſcuntur in horto
Cauliculi, quos Phebus amat, luſtratque diurna
Lampade. Tela etiam in pęnam fabricata nocentũ,
Reſtituitque Jovi mentem, nec ſtuppea fingit
Aut conflata putat ſquamoſo Numina Gypſo.
Hinc eſt, quod molles ſocios, madidamq; Tabernã
Devovet, & primò repetit ſub veſpere Tectum,
Conſcius in Cyatho quantum peccaverit uno.
Fruſtra(9) illum Cithiſus ſubluſtri noctis in umbra
Expectat plenis numeroſo corde tabellis,
Atque animâ toto repetitâ in marginæ Ceræ;
Tu quoque meſta doles, & dulci ſaucia curà
Quæris Lenonem fruſtrà Quartilla Togatum.
Quodq; (10) magis ſtupeas; faciẽ nõ amplius ornat
Conſilio Speculi, fictoſque in fronte capillos,
Hirta quibus dederat Satyrorum barba decorem,
Parcius(11) excruciat buxo: faſſuſque Decembres,
Et quotquot flavas conſurgere vidit ariſtas,
Declinat Sapiens teneri contagia menti.
Te quoque(12) Rulle fugit maturæ vinitor uvæ,
Et ſpurco damnat fluitantia carmina muſto,
Carmina quæ quondam noſtris Paſtoribus ipſe
Laudarat nimiùm, falſis magis apta tuendis

An-

Anguillis, fieri queis poſſet penula olivis.
Quin(13)etiam veſana manu diſcerpit utraque
Somnia Lucreti; nec te tua Pindare Laurus
Protegit, & Baccon fato exhalavit eodem
Triſtem animam; craſſo digeſta volumina libro
Volvuntur, tabulaſque legit peccare vetantes,
Et clamoſa vagis ſucceſſit Curia Muſis.
Jura, Forumque placent, & barbara nomina diſcit
Cauſidicus.(15)Quid rides? vidi ego Rapula nuper
Cum peteret notum Philodemi limen, & ora
Percutiens, miſeram ſe ſe viduamque vocabat,
Cui ſublata fuit furto Gallina; ſed ipſe
Commiſerans caſum, lacrymas abſtergere juſſit:
Conſultuſque prius Cini Reſponſa, paratos
Adducit teſtes, & Judicis ante Tribunal
Impiger exclamat Galli patronus abacti.
Non hæc parva quidem, verum majora ſuperſunt
Argumenta viri; factus nam ſanior aulam
Deſervit, Procerumque fugit conſortia, quamvis
Egregium ſuſpiret Vatem, & habere ſuorum
In numero(16)Proculejus amet; nō vellera cocco,
Aſſirioque ſtudet depingere murice lanas,
Conſilio adjutus Cinnę,(17)vafrique(18)Cuculli:
Ambiguiſque notis anceps, & certa repulſæ
Littera longinquum formidat adire Tarentum.
Nos quoque terrore exilii, ſponſique capiſtri
Abſolvit. Gaudere juvat nam ſemper in ore
Lictor erat, laqueuſq; & prompto remige Puppis.
Denique jejuni cenſus, ſe ſeque fatetur
Plebeję gentis, turpem, ſine corde, notandum
Omnibus; & vix aptum humeris efferre locatis
Sandapilas, emptoque lutare Cadavera amomo.

Ergo

Ergo novum calamo Philodemum parce ferire;
Nulla oritur tibi laus à Carmine,ſplēdida quando
Virtus delevit veteris veſtigia culpæ.
Tunc ego ſubridens vultus ad verba revolvo,
Excuſſiſque manu cartis, quas fortè tenebam:
O Lupe quam vereor, dixi, ne debilis uſu
Decipiat te rerum ætas. Utinam ſaperet; ſed
Conſuetudo mali tenet illum, & tramite curvo
Labitur in præceps. Quamvis ſit Fabula vulgi,
Non ne vides quanto perfuſus pulvere anhelet
Cum Tito, & Cithiſo, dum devorat axe citatò
Flaminiam? Quò non Philodemus? ubique
Importunus adeſt; recitat, ſibi plaudit, amatque
Muſarum conjux,pulcher lepiduſque videri.
Quæ(19)modo non auſus nemoroſæ mænia Circæ
Dum colit, & tetrico funeſtat gutture manes
Telegoni? Sancte procul ò diſcedite Muſæ
Quà reſonat Pelvis, Crambæque recocta Bionis
Verberat auriculas, & Tuſcula ſigna fatigat.
Hæc tamen inſano damus,atq; ignoſcimus ultrò,
Dum(20)mihi nō vendas peregrino codice nugas,
Quas nuper batavis excudit fœmina prælis,
Magnum Tranſalpes nomen factura Bioni.
Et quis ferre queat meditantem ſomnia, quæ vix
Antulla, & Mammæ ſolitus lallare Cicerrus
Crederet? Elleborum noſtro Ligurine Poetæ
Funde precor. Delirat enim. Quo menſe libellum
Edidit? an poterat tam parvo tempore longas
Ire redire vias? Quò nomine publica lucis
Jura ſibi quærit, viduamque meretur inemptam?
Illam mendacem gracilis membrana fatetur,
Et certæ, vernæque notæ, nimiumque fidelis

Lit-

Littera, quæ numeris reſpondet. frigora Rheni
Ah tè ne lædant, Viduaque fruaris amore
Felix Endimion, quamvis doleat tua Phębe,
Et doleat curvo qui glabra Poemata dorſo
Nocte laboravit, tanquam plus emerit æquo,
Ne ſcombris tunicæ deſint, piperique cuculli.
Hæc ego non patiar, ſalva mihi mente, nec ullus
Nobis verba dabit. Calami tentigine rumpor,
Et peream, murià ſi non graviore fricabo
Sinciput hoc Aſini, donec cruor effluat, atque
Horrida detractà fument calvaria pelle.
Cerne Lupe (hęc inter manibus ſublata pependit
Cortina, atque omnes ſtabant ex ordine Muſæ)
Cerne inquam ſtrigiles cultros, cum forcipe runcos,
Et ſale conditum, fervenſque in Pixide acetum,
Quæ ſacræ miſcent largo cratere Sorores.
Pharmaca, ſi neſcis, Philodemo multa parantur,
Quæ licet invitus potet, Rulloque propinet.
Ipſe etiam Arcadiæ miſeratus Apollo ruinam
Accurrit, vireſque mihi, jaculumque miniſtrat,
Quo pereat Calaber Tyberino in Littore Pithon.

NOTAE.

1. *Quidam Juvenis qui ſe legibus peritum jactat &c.*
2. *Fortaſſe nomine Saliorum Cardinales intelligit &c.*
3. *Amicus tam Authoris, quàm Phylodemi &c.*
4. *Genus Vehiculi nuper Romæ repertum, vulgo* Barozza &c.
5. *Idem quod Philodemus, ex Opuſcolo quodam, cui Nomen* Bion &c.

6. *In*

6. *In prima Satyra Author damnàverat Philodemum tamquam pietati, ac Religioni minus addictum &c.*

7. *Ferunt Philodemum, dum Sacris adſtat, ſolitum legere Authores Grecos &c.*

8. *Doctrinam innuit de luce univerſali, quà Philodemus docet nobis illabi ſcientias &c.*

9. *Ephebus quidam uti ſolitus Philodemi opera ad mittendas litteras amatorias &c.*

10. *Philodemus propriæ formæ cultor in ſuperioribus Satyris deſcribitur &c.*

11. *Annos natus quadraginta adoleſcentulus videri cupit &c.*

12. *Rullus amicus Philodemi, qui recitavit in Arcadia Carmina quædam ineptiſſima de Vindemia, vulgo* la Mozza, *a Philodemo immodicè laudata &c.*

13. *Lucretius, Pindarus, & Baccon Verulamius, Authores ſunt Philodemo penè ſacri &c.*

14. *Ab Authore vexatus, Poeſim relinquit, & Legibus operam dat &c.*

15. *Nomen Meretriculæ notiſſimæ & c.*

16. *In Promotione Cardinalium plurimùm operam ſuam valere jactaverat &c.*

17. *Cinna magnus Romæ ardelio.*

18. *Regularis quidam ambitione ſua Romæ notus &c.*

19. *Philodemus Menſe Octobri in Tuſculano Accademiam inſtituit, & recitavit ſermonem, cui nomen Bion, omnibus prè nauſea fugientibus &c.*

20. *Innuit Opuſculum Endimionis, quod Amſtelodami*

dami a Vidua quadam Typographa ſpontè impreſſum falsò jactabant &c.

SATYRA V.

Quò (1) rapis Ulpidi ? Propera ; vicina Taberna eſt ,
Hic ubi deſidiæ cultrix Tunicata Juventus
Penſitat in Trutina , & naſo ſuſpendit adunco
Bellorum Caſus . Pars altera Cæſaris Arma ,
Altera Gallorum ſequitur . Favet ille feroci
Alpino Juveni , portaſque , & clauſtra tueri
Imperat Italiæ . Magnis hic claſſibus Æquor
Navigat , & Regi minitatur fata Britanno .
Ingredere o Sodes ; forſan redjiſſe juvabit
Serò domũ . Ut libet , ingredior comitemq; ſecutus ,
Coccejum video , Novium , doctumque Fabullum
Atque Tigellinum , Panſam , Tarpaſque minores ,
Et cum Maltino Barrum . Bombycina mappa
Implicat his lævam , ſummis digitiſque tenebant
Fictilia , & tumidis ſufflabant pocula buccis ,
Pocula ab Odryſio multum laudata Tiranno .
Curſitat huc illuc calidæ malus inſtitor undæ ,
Emungens loculos , & vafrâ callidus arte
Obſervat madidum labrum , nigramque ſalivam .
Proxima ſed crebris reſonabat Cella cachinnis .
O age ? quid ceſſas ; recita Ligurine : Coronam
Verſiculis recreas , quoties Philodemus in illis
Dulce , & grande ſonat . Percuſſus nomine tanto
Accedo propius . Cupidis Ligurinus habebat

Prè

Digitized by Google

Prèmanibus (2) Cartam, numeruſque in margine Quintus
Inſpectus, Turbæ plauſus, riſumque ciebat.
Dum ſedeo tacitus, ſitientique ore Camænas
Expecto; Barrus, pereat mihi Barrus. Amici
Sit pudor, exclamat, Satyros, muſaſque ſalaces
Audire, & plauſus alienæ impendere Famæ.
Urbanas ultrà leges, finemque decoris
Tendit opus, creſcitq; novum de carmine carmen.
Quod ſi tantus amor ſcribendi, gloria major
Naſcitur Authori, ſi fretus Apolline dextro
Indicat vitio bellum, & ſale perfricet Urbem.
Forſan materies deerit; cum pumice vultus
Leviget(3)Alcimus, corioque indutus odoro
Gentiles jactet digitos, flaviſque capillis
Conſpiciendus eques, agitet carpenta Varalli,
Qui nuper ſtabulis Mulæ viliſſimus unguem
Infuſis mundabat aquis, nigrâque farinâ
Vix avidos ſtomachi poterat compeſcere morſus.
Cum(4)SpadoPatricio,tanquã de ſanguine clarus,
Fœmineas intret ſerâ de nocte Cathèdras
Garrulus, atque duos Reges oſtendat amicos,
Acceptaſque legat feſſo curſore tabellas.
Dein calamum poſcat,puerumq;objurget inertem,
Et cubito innixus diſcordes mitiget aulas
Conſiliis, toto pacando laſſus in Orbe.
Quid memorem quantis medicaverit ora venenis,
Et quantum referat de fornice Gellia, cujus
Dimidium labri, naſuſque in pixide dormit,
Induit, & dentes ut ſerica mane repoſtos.
Aſpicit hæc, diſcitque genis foliata parare
Filia jam grandis, ſeptumque ſubire recuſat
Cœno-

Cænobii, horriduloque comas velare cucullo.
Digna tamen fragili pertranſeo crimina ſexu,
Comunis quem ſtringit Amor,ſtudiumq;placendi.
Sed(5)peccat Lauſella,& pluſquam fęmina peccat,
Vendere quæ potuit torquem,patrioſq; ſmeragdos,
Atque novæ centum flavos donare monetæ,
Efferat ut nigrum tacitus Veſpillo maritum.
Hæc ſale Lucilii venuſinâ d gna lucernâ
Hæc ſunt. At contra male lex Scatinia ſurgit
Inguinibus Calaber ſi quid peccaverit udis.
Nam Philodemus homo bonus eſt, & pellice lęva
Utitur, ut fugiat ſtantes in fornice mæchas,
Caſtalidumque queat contingere purior amnes.
Finierat Barrus; quem torvo lumine figens
Sulcius, & medium protendens callidus unguem
In vultus gratamur, ait,dulciſſime Barri
Quod tibi contigerit magni tutela Bionis,
Conſcia mens ſcelerum, paticus quem fecit amicũ
Carinus, tremulæque nates, Titique mariſcę.
Sed qui non laudat Parthorum bella, ſuperbum
Inſulſumque caput Phylodemi devovet Orco.
Et meritò. Teſtes ò formoſiſſima Tempe,
Et juga Telegoni,(6)viridiſq;in margine Nimphę,
Quas ille ænormi toties ſermone coegit
Mingere dum crocitat. Latebroſæ tædia linguæ
Ferre nequit, mundi qui pondera ſuſtinet Atlas,
Centauruſque ſibi concham, cornuque marinum
Credidit ablatum, Calabrum dum tinnit ahęnum,
Reſpexitque ſuam curioſo lumine dextram,
Altaque curvatis nutabat Villa caminis.
Qui lepor, & qualis perfricta in fronte venuſtas!
Gratia quanta, cui dum cornicatur ineptè

Os hiat ut podex crudæ bovis! oh mihi largus
Si foret hic pulmo, naſiſque timenda matella,
Aut vetulus venter, ruptique omenta caballi!
Quam bene dicentis rictus,fœdaſque linirem
Terque quaterque genas; non his meliora meretur
Unguenta,atq;roſas,petit hunc ſibi crinis amomũ.
Certe ego qui nuper campo Cœloque Latino
Urbanis feſſus ſtudiis, curiſque fruebar
Ferre diu nequii Phylodemum; more Dianę
Succinctus nitida cum figit harundine damas
Saltitat huc illuc, atque omnia nauſeat ęque
Ac dives Monalus, quem raptat eburnea biga:
Cumque habeat faciem,qualem non vellet habere,
Appoſuit nigrum cui Prętor Theta, furores
Quartillę laudat, laterique innixus adheret
Hermopilę & dextram gradienti porrigit ultrò
Officioſus homo. Quis ſermo? Bionis in ore
Semper habet,(7) crambè,menſaſq;Bione coronat,
Rancidulumque facit ſerò cęnare Bionem.
Boletum potius comedam gelidaſque cicutas,
Et noſtro potius ſapient aconita palato
Quam tuus iſte Bion toties Phylodeme recoctus.
Tù tamen exultas, Rullo palpante bilibre
Ingenium, ſuperiſque negas concedere primas,
Cum de litterulis agitur graiiſque camœnis,
De Jove Grammaticus ſi fiat juppiter iſte.
Addit (8) & inſanæ Titus calcaria menti,
Et Cithiſus, dextràque nitens Teleſinus eburna,
Quæque lacernatæ cevent tibi ſemper amicæ;
Et culpas vivo ſignatas Conſule trullas;
Nec niſi ſetinum laudas, Chiique ſenectam,
Aut patrio jactas diffuſum rure liquorem.

Scis

Scis etiam leporis dulces ſectarier armos
Oſtreaque,& vitulæ cerebrum, cluneſq; palumbi,
Quæque ſiligineis pingueſcunt cruſta farinis.
Miratur frugi ſtomachus, dominçque culinæ
Ignarus timiduſque dapes interrogat unde,
Et quà parte fluant; teque unum jam putat eſſe
Qui lambunt Cęli patinas de plebe Deorum.
Quid facies cari cum ſportula ceſſat Ephebi,
Atque Tarentinæ non dum venere Kalendæ,
Exiguaque tibi tepet olla domeſtica farre.
Octobres properatę dies, & perlita muſto
Tempora, quæ vacui rugas extendere ventris
Sufficiant, rabidique famem pacare Poetæ.
Jam ſatis eſt Sulci: fruſtra mè vincere tentas,
Nil mihi cum pueris, nec multum ſcire laboro
De cute quid faciant Titus, molliſque Cuminus,
Et quantus Circè ficus naſcatur in hortis.
Quamquã vanus homo noſter Calaber, tamen ille
Doctrina Cinicos, & Stoica menta reliquit
Poſt ſe. Quis melius conſtanti pectore anhelat
Pindaricos aſtus? ſchola nam doctus Achea
Grande ſonat,totaſq;ſapit cum Helicone ſorores.
Nil (9) ne referre putas,quod nuper fęmina tanti
Mota viri fama, lucem donaverit ultrò
Sermoni egregio, quò ſoſpite vindicat ævum
Endimion! oh belle! quæſo dic mihi ſodes
Quanti emit viduam, nugas cudiſſe meracas
Si gratis voluit, digna eſt amittere dotem
Juſſu Prætoris; ſed parva mole libelli
Jam properent dominæ contingere męnia Romæ,
Et plaudat reduci Umbricius, Maculoque Bioni.
Expectatus ades;ſcombrum nam frigora mordent,

Rugoſumque piper tunicam ſuſpirat,& alec
Nudus Tranſtyberim fęda putreſcit in orca.
Endimion miſerere gari, vulvæque ſuillæ,
Ut ſperata tuis ſaltem coquus oſcula cartis
Delibet. Renuis? fies convivia blattis.
Hic ridere omnes, ſonituque explodere Barrum,
Qui male ſuſceptam Calabri defendere cauſam
Deſtitit. Aſſurgunt Novius, Tarpęque gemelli,
Coccejuſque rogat Ligurinum, ut craſtinus adſit
Lecturus Quintam, rauco nam murmure turris
Vicina admonuit cęnę, dulciſque grabati.

N o t æ.

1. *Officina in Platea Agonali ſita ubi cocholates variique potus venduntur, ad quam tam Romana quam extera Nobilitas confluit &c.*
2. *Satyra quinta contra Phylodemum &c.*
3. *Alcimus amicus Phylodemi vili genere natus &c.*
4. *Muſicus frequentare ſolitus nobiliſſimos cætus, & offas proyicere nimis ventoſas.*
5. *Mulier quæ marito venenum propinaſſe dicitur, ut alterum duceret.*
6. *Menſe Octobris ad Tuſculanum ſermonem Accademicum recitavit Phylodemus inſulſiſſimum.*
7. *In omni cetu de ſuo libro cui nomen dedit Bionis ſermonem facit Philodemus.*
8. *Amici adulatores Phylodemi cum quibus ſepiſſime prandere ſolet.*

9. Suum

9. *Suum librum in lucem editum jactat Phylodemus typis cujuſdam viduæ in Hollandia.*

SATYRA VJ.

POſtremum Phylodeme precor dignare laborẽ,
Si vacat, & noſtras pacato lumine muſas
Reſpice, ſcribendi nondum conſumpſimus iram,
Inque dies meſſis vitiorum uberrima ſurgit;
Sed pudet auriculas numeris torquere latinis,
Obſcuriſque jocis. (1) Hetruſcæ cura puellæ
Jam poſt hac Phylodemus eris; vernòque lepore
Verſiculos faciam, quos docti Nævia cunni,
Et Quartilla legat, nulloque interprete Galla.
Porticus Agrippę malè nititur alta columnis
Balneaque, & Thermas, latii monumenta decoris,
Lactucæ inſultant, betæ, lętique coronant
Cauliculi, & ſtatuas rumpit caprificus equeſtres;
At nos ruderibus priſcûm, ſenioque juvabit
Sermonem eruere, & cineres coluiſſe ſepulchri?
Haud equidem; Patrios mens eſt attingere fontes,
Et mea verba loqui, puero, quæ ſedula nutrix
Et ſoror, & mater docuit, cum poſcere mammam,
Cum poma, & vini cyathum ſuxiſſe volebam.
Interea grates quas tù, Phylodeme, rependes
Ingenio Authoris; dum nec mercede coemptus,
Nec ſtudio famæ fecit tibi nomen in ævum?
Nam periturus eras fędo cum corpore, nec tè
Ætas vividior quam fungi vita manebat.

Rugoſumque piper tunicam ſuſpirat,& alec
Nudus Tranſtyberim fęda putreſcit in orca.
Endimion miſerere gari, vulvæque ſuillæ,
Ut ſperata tuis ſaltem coquus oſcula cartis
Delibet. Renuis ? fies convivia blattis.
Hic ridere omnes, ſonituque explodere Barrum,
Qui male ſuſceptam Calabri defendere cauſam
Deſtitit. Aſſurgunt Novius, Tarpęque gemelli,
Coccejuſque rogat Ligurinum, ut craſtinus adſit
Lecturus Quintam, rauco nam murmure turris
Vicina admonuit cęnę, dulciſque grabati.

NOTAE.

1. *Officina in Platea Agonali ſita ubi cocholates variique potus venduntur, ad quam tam Romana quam extera Nobilitas confluit &c.*
2. *Satyra quinta contra Phylodemum &c.*
3. *Alcimus amicus Phylodemi vili genere natus &c.*
4. *Muſicus frequentare ſolitus nobiliſſimos cætus, & offas proÿcere nimis ventoſas.*
5. *Mulier quæ marito venenum propinaſſe dicitur, ut alterum duceret.*
6. *Menſe Octobris ad Tuſculanum ſermonem Accademicum recitavit Phylodemus inſulſiſſimum.*
7. *In omni cetu de ſuo libro cui nomen dedit Bionis ſermonem facit Philodemus.*
8. *Amici adulatores Phylodemi cum quibus ſepiſſime prandere ſolet.*

9.Suum

9. *Suum librum in lucem editum jactat Phylodemus typis cujuſdam viduæ in Hollandia.*

SATYRA VJ.

POſtremum Phylodeme precor dignare laborẽ,
Si vacat, & noſtras pacato lumine muſas
Reſpice, ſcribendi nondum conſumpſimus iram,
Inque dies meſſis vitiorum uberrima ſurgit;
Sed pudet auriculas numeris torquere latinis,
Obſcuriſque jocis. (1) Hetruſcæ cura puellæ
Jam poſt hac Phylodemus eris; vernòque lepore
Verſiculos faciam, quos docti Nævia cunni,
Et Quartilla legat, nulloque interprete Galla.
Porticus Agrippę malè nititur alta columnis
Balneaque,& Thermas, latii monumenta decoris,
Lactucæ inſultant, betæ, lętique coronant
Cauliculi, & ſtatuas rumpit caprificus equeſtres;
At nos ruderibus priſcûm, ſenioque juvabit
Sermonem eruere, & cineres coluiſſe ſepulchri?
Haud equidem; Patrios mens eſt attingere fontes,
Et mea verba loqui, puero, quæ ſedula nutrix
Et ſoror,& mater docuit, cum poſcere mammam,
Cum poma,& vini cyathum ſuxiſſe volebam.
Interea grates quas tù, Phylodeme, rependes
Ingenio Authoris; dum nec mercede coemptus,
Nec ſtudio famæ fecit tibi nomen in ævum?
Nam periturus eras fędo cum corpore, nec tè
Ætas vividior quam fungi vita manebat.

 At

At nunc ignarus fati, buſtoque ſuperſtes
Temporis invidiam ſuperas, & in ore virorum
Plurimus immitis contemnis vulnera Parcę.
Te Batavi (2) cupiunt victuris tradere chartis,
Ne quid nugarum pereat, multoque notatus
Margine, venturos poſſis recreare nepotes;
Quodque tuo multum genio blanditur, & optas,
In ſcholas venies, puerûm tractabere dextrâ
Ipſe capillatis riſum facturus Ephæbis.
Sed ne diſcipulos permiſſa licentia muſæ
Pelliceat, teneroſque lues contaminet annos,
Sub Patribus duris tyronum; & Rhetore nigro
Ad morum normam, & ſævæ caſtraberis uſum
Grammaticæ; noſtro de codice penis abibit
Expunctus, leveſque gene, Titique mariſca,
Fędaque purgatis migrabit vulva papyris;
Quoq; loco imberbes tractas Phylodeme cinędos,
Præceptor ſapiens ſubito nova verba reponet,
Et docilem manibus faciet palpare catellam,
Ut ſolet, & rauci canis hæc erit illa Bagoe
Callidus in circo, quam tù ſaltare jubebas.
Læva ſed & pellex, nimiumq; domeſtica amica
Carminibus delenda meis, ne pronior ætas
In vitium, venerem diſcat virtute relicta.
Quodque magis doleo, noſtras, Quartilla camęnas
Deſeris, & vidui plorant ſine lampade verſus;
Scilicet horridulus nimium, ſęvuſque magiſter,
Iraſci ſolitus cunno, tè radere chartis
Nititur, & longis ſequitur tua facta lituris.
Vos quoque, Telegoni, qui ſurrexiſtis in hortis,
Octobres fici, calamus feſtinat acutus
Vellere, ſed plantis ignoſcet forſan amicis.

Ergo

Ergo age, teſticulis poſitis, juſſuque ſevero
Parte tui meliore carens, Phylodeme, pudicam
Intrabis ſcholam, feriſque legendus in horis,
Centum (3) cirrhatos unguem corrodere coges.
Quando erit, ut cultis auro, minioque tabellis
Diſcipulis penſum fias, niveoque teraris
Pollice? ſed vereor ne ſis injuſſa dolendi
Cauſa, quibus placuiſſe cupis, nam verbera palmæ
Sępius accipient, & lora cruore madebunt,
Abſtruſo quoties occurrit ſillaba metro,
Et veteres docto redolet ſermone Latinos.
Angitur (4) ecce Petus, primoque limine adheret
Territus, audito Phylodemi nomine, & inquit,
Quid vox iſta ſonat? certè hunc nec ſacra pia vir
Unda, nec in noſtris colitur, legiturve Kalendis:
Neſcio quis fuerit. Surgit tunc ſede magiſtra
Cratilus, (5) & pexa barba, digitiſque gubernans
Corvinam vocem, memori, puer, accipe mente
Quę referam (Pręceptor ait.) Dum priſca fuerunt
Tempora, (6) & innocuę ſerviret Roma Thiarę,
Venit ab Oppidulo, laceris malè nixus alutis
Grçculus eſuriens: neque enim confidere ameno
Littore Parthenope ſivit verſutia linguę,
Atque ſodalicium; res eſt penes acta Tribuni.
Principio ingenium, & Grajas jactare Camęnas
Aſſumptâque togâ, meritoria figere cępit
Oſcula liminibus Procerum, ſervoque potentes
Graſſari obſequio; donec ſpè turgidus altâ,
Confidenſque ſui, fortiſque oblitus avitę,
Et Patrię, rheda tunicatum urgere popellum,
Invidia alterius ſenſim macreſcere famę,
Conſpuere in mores, odiis committere amicos,

Et quę me fari prohibet reverentia. Tandem
Inventus, fatuo, qui reſponſare paratus,
Caſtalio ſtolidam frontem perfudit aceto,
Atque illum ficto Phylodemum nomine dixit.
Hoc notum ſatis eſt, nec nobis excidet unquam.
Scire tamen cupio, cur vilis homuncio tantum
Creverit, (7) ut laqueos, ſyrtes, ergaſtula, fuſtes
Gargilio, Tulloque, aliiſque indicat amicis,
Tarpejâque tonet ſceptro ſublimis ab Arce?
O pete, nonne vides artem, ſatyręque colorem?
Plorat Gargilius, fateor, doctuſque Fabullus,
Criſpulus, & Capito, ſed vanę ſomnia mentis
Lacrymulis rident, & ludicra Regna Bionis;
Namque [8] Tarentino dominator vellere murex
Vix duo, vel tres ridiculos, morboque calentes
Occipitis, ſpè donorum lactavit inani.
Nunc age quis Titus fuerit, molliſque Cuminus,
Telephus, & Cythiſus; nam ſępius iſta notavi
Nomina. Quā bene perconctaris? nomina ſunt hęc,
Invitus ſatyrę, quę quondam miſcuit Author,
Purus ab offenſa; quis enim traduceret illos,
Ordine patricio natos, virtutis Alumnos,
Et quos laudaret livor quoque? ſed nimis arctâ
Compede devincti fuerant, Calabroq; favebant;
Neve diu (9) ramoſa lues hæreret Ephębis,
Hæc data mordaci ſpumantia pocula ſucco
Ægrotis animis, placuitque ſalúbris amaror;
Nam ſenſim pueri Titus, Cithiſuſque Bionis
Nudavere latus, nec ſordida verbula curat
Thelephus, & fœdum ridet Theleſinus amantem.
Ipſe etiam Rullus, nuper qui creverat arte
Laudandi, repetit poſitas in fœnore laudes,

Et

Et puduit dixiſſe, hic par non tota videbit
Europa ingenium, nec Phœbus vidit uterque.
  Cratile parce precor, qui Rullus vinitor? ohè
Rullus erat Medicus, mimus, cantator, Aliptes,
Amens præſertim, fruſtra cui tota nataret
Anticyra in cyathis. Hic dum favet uſque Bioni
Perdidit unciolam cerebri, comitemque ſequutus
Per juga Parnaſſi, pecudes, hircoſque piloſos
Heroas fecit, muſtoque madentia labra,
Et tribus (11) amiſſis luxit ſine fine capellis.
Hoc tibi ſufficiat, nunc ſi quid fortè videtur
Obſcurum, fare impiger, & tè prætereat nil.
  Sunt equidé diverſa quibus malè tutus, & anceps
Detineor. Quare Baccon, & ſcripta Lucreti,
Pindarus, atque alii culpantur, quos mihi doctus
Euganeus lapſo nuper laudaverat anno
Auctores? Nimis alta petis, nec viribus iſtis
Apta tuis, ſtudioſe puer, ſed, ſi juvat, audi
Quæ referam. Multos olim Phylodemus amicos
Excoluit, vilemque omnem demiſit ad uſum
Servile ingenium, ut caperet ſibi quos fore lucro
Credidit. Hos inter famam meruiſſe Poetæ
Nil magis optavit; ſed natus Apolline lævo,
Mancos verſiculos egrè, nugaſque recentes
Vendebat populo, quamvis membrana libellum
Diſcolor, & multus celebraret carmina pumex.
Quid faceret? chartas cępit laudare Pelaſgas,
Ranciduloſque ſonos, atque exemplaria græca
Prædicat è Cęlo delapſa, & mente protervâ,
Quod magis ignorat, ſolus vult ſcire videri;
Hinc ardet Titus, Cythiſuſque docente Bione,
Non intellecto feſtinat baſia Homero;

Hinc

Hinc ſacer eſt factus Charino Pindarus, atque
Sola tenet pluteum pedonis imago Lucreti.
Scilicet has nebulas miſeris Phylodemus ocellis
Offudit, doctumque aliorum inſcitia fecit.
Artibus his recto deduxit tramite mentes
Subdolus, & longo muſcas captare labore
Edocuit. Teſtis Labeo, qui ſub duce tanto
Aereum virtutis iter, fumumque ſecutus
Grajorum, de Cauſidico, juriſque perito
Græculus eſt factus, ſolas & quærere kappas
Nititur, & gammas, jotâque ſeneſcit in una.
Indolis eximiæ juvenis Malthinus in Urbem
Venerat, & dotes animi præſtantia formæ
Tam bellè augebat, magnos ut poſſet honores
Sperare, & propius violæ meruiſſe colorem;
Sed vetat Euripides, ſcabieſque inſana Lucreti,
Quæ longas miſero conſumit turpiter horas:
Cumque ſuperba foret placanda favoribus Aula,
Et ſtudiis Legum, totus ſcriptoris Achivi
Marcet in amplexu, dilecto ut codice diſcat
Nil ſapere, & fortis prævertere dona paratæ.
Aſpicit hæc, jugulatque ſuos impunè ſodales,
Et quod Prætoris, quod cognitione Tribuni
Indiget, in meritum Phylodemus computat, & ſe
Jactitat artificem, formatoremque juventæ.
O vafrum, indoctumq; ſimul! Nunc, Cratile, novi
Cur Græcos tantum ſcriptores verberet Auctor.
At nunc ſcire velim, cur Tuſcula ſigna, nec una
Rupta Bioneo cecidit ſermone columna?
Hoc Pete nil melius patuit, nam carmine multo
Paſſim deridetur ſtolidæ petulantia linguæ,
Quæ fuit accitis æſtu, ſtomacoque Matronis.

Hæc

Hæc ego perlegi decies, decieſque notavi
Inſulſum Calabri faſtum, qui rure Latino
Ut molles Regum pueri, pilentà fatigat,
Et ſaturejano præbet poppiſma caballo,
Aſſuetus tortâ defendere cannabe talos.
Quam benè laſcivit Satyrus, muſæque jocoſæ
Perfricuere cutem ſalibus! ſed quando Poetæ
Incidit hic ſermo, quæſo mi Gratile, nomen
Illius & patriam fas ſit mihi diſcere, nunquam
Hactenus audivi, quamquam ſit dignus, ut ævum
Aſpiciat ſerum, noſtraſque feratur ad aures.
Dicam quod potero, mihi quę Gorgonius olim
Edidit in ſcholis puero, ſatyraſque legenti.
Auctor, ut accepi (nec vana eſt fama) Latino
Sanguine (13) prognatus, Sectanus nomine, vultus
Oblongi, modici cenſus, & fraude remota
Cultor amicitię letâs conduxerat ędes
Exquiliis, procul à turba, ſtrepituque rotarum;
Ille etenim biuges odit, qui fronte ſuperba
Purpureos quatiunt lemniſcos, tectaque fugit
Quorum campano reſonabat pinna metallo;
Contentuſque ſui nudas Helicone puellas
Sæpius accibat calamo; nam Paſtor, & ipſe
Arcadiæ dulci gaudebat murmure laudis.
Non tulit hoc Calaber, fervenſq; ardore nocendi
Sectanum populo ridendum prębet, & alta
Ambitione tumens, vulgo ſe prædicat ortum
Diſſecta cervice Jovis, culpatque Minervam.
Nunc loquitur ſecreta, & quę non audiat ipſe
Sectanus, quamvis pręſens, dextrâque prehenſum
Dimovet à turba Labeonem, & garrit in aurem:
Nunc cubito tangit Malthinum, oculiſq; retortis
San-

Sanguineis, animi veſanos indicat ęſtus,
Sollicitus ne fortè cadant de fronte corollę,
Quęſitoque ſibi ſedeat novus incola Regno.
Hinc odii cauſę; nam quis toleraret iniquum,
Inviſumque caput ſuperis, & triſte bidental,
Mille fibris ovium, quod non Ergenna piaret?
Addidit & calamo pondus, Satyriſque calorem
Carceribus (14) ſacris incuſtodita juventus;
Quam perfrictus homo de fornice verba docebat
Fœda loqui, teſtaſque novas implevit odore
Obſcęno. Virtus olli Pietaſque videtur
Simplicitas animi, vultus malè conſona formę:
Nec juvenem laudat, niſi quem laſciva perurit
Flamma, Deumque colit pęnâ doniſque carentem.
His ubi flagitiis Phylodemum vidit ovantem
Sectanus, totamque afflari crimine Romam,
Exarſit virtutis amans, & moris honeſti
Publicus aſſertor, nobiſque exempla reliquit,
Quò plectenda modo Calabri dementia cordis,
Si novus exiret tradux Phylodemus ab Orco.
Hęc Pete, ne pereant, ſcribes in marmore; ſed jam
Sera eſt hora, domum repetas, cras cætera diſces.

NOTAE.

1. *Italicum carmen in poſterum de Phylodemo conſcribere Sectanus pollicetur.*
2. *Viduam innuit Typographam in antecentibus Satyris refertam.*
3. *Mos eſt innatus adoleſcentium diſcipulorum ungues corrodere dum ſenſus obſcuros alicujus Libri percipere non poſſunt.*
4. *Diſcipulus quidam humaniſta.*

5. *Pedagogum indicat in publico Gymnaſio Rhetoricæ Profeſſorem.*
6. *Tempus innuit SS.Pontificatus Innocentii XI.*
7. *Alludit ad penas à Phylodemo comminatas contra Sectanum in tertia Satyra relatas.*
8. *Vide notas Sat.3. num.11.*
9. *Cauſam innuit, quæ occaſionem dedit Satyrico ſcribendi.*
10. *Rullus amicus Phylodemo addictiſſimus.*
11. *Notiſſima ejuſdem cantilena ſæpius repetita de tribus capellis amiſſis.*
12. *De ſermone loquitur quem Phylodemus recitavit Tuſculi,nauſeantibus Matronis.*
13. *Nomen Patriæ, & mores Satyrici deſcribuntur.*
14. *Alteram indicat rationem de ſatyris conſcribendis.*

SATYRA VIJ.

SEd non Aſcreo ſuſpendi cymbala trunco
Velatiſque comis ad Pimplæ flumina dixi
Grande ſacramentum; poſitas ut ſumere cordas
Eſſe nefas credam. Faciles ignoſcite Muſæ,
Si ſtrictis iterum cogor ſævire flagellis;
Nec ruptæ fidei mè poſtulet actio, quando
Invito extorquent aliena piacula carmen.
Poſtremum cecini fateor, Phylodeme, laborem,
Atque ignava diù mollivit feria dextram,
Ut melior fieres calamo parcente; ſed obſtant
Natura, & patrio nati ſub ſydere mores,

Co-

Coctaque præſertim Calabro præcordia limo.
Utque ea prætere am,quę non ſunt crimina noſtra,
Quæque puer miſero ſorbillat ab ubere matris:
Oſſea mè terret facies quocumque lapillo
Durior, & ſilice, & calybe, invictoque adamante.
Hanc ſi mille fabri, nuduſque incude Piracmon
Tunderet, exigua libarent verbera cruſtam.
Scilicet hac fronte,hac dura cervice ſubiſti
Ædilem, (1) & timidis intra prætoria talis
Clam noctu ingreſſus, leges, jura omnia clamas
Everſamque fidem, ni vilis acinacis ictu
Sectanus pereat, Lata eſt ſententia, littor
I propera, & tortâ ad Palum tere cannabe guttur.
Sed quis Sectanus ſcriptor Satyrę ? unus, & alter
Arguitur, quorum nemo de fonte liquores
Caſtalio potare auſus, laurumque momordit;
Nempe hic addictus lucro,non turpe putavit
Ferre jugum, & dulci prò libertate ducentos
Carpere, Coccineum patiens aptare cucullum,
Doctus & ad dominam digitos flexiſſe Lacernam.
Ille ſolet veteres, & quas fuligo tabellas
Commendat, tota impatiens mercarier Urbe,
Callet & artificem ſolo deprehendere odore.
Num poterit doctas ad plectrum cogere muſas,
Qui ſtatuas Policrete tuas, culpatque labores
Praxitelis,penſatque manu fracta æra Corinthi?
Quique legit Patrum reſponſa, & jura Senatus
Conſulti, juratque ſacri per nomina Baldi?
Hæc benè cum noſcas, & ſit tibi cognitus Author,
Inque oculis habeas, veteres Phylodeme ſodales
Traducis, Calabræ tanta eſt petulantia frontis.
Exclamare libet; modicâ mercede Tribuni
Emi-

Emite verſutæ mendacia ſubdola buccæ,
Et delatori ſit ſportula curta Poetæ.
Nam vos decipiet gens fallere docta bifronti
Ingenio, & ſanctas faciet peccare Secures.
Quò ſequar in centum mutantem Prothea vultus?
Accuſator eras nuper, Faſceſque ſeveros
Gaudebas tractare manu lictoris amicus;
Nunc Comędus agis, ludis, ſcęneque vacantem
Indulges animum, reſolutaque pectora curis.
Sic olim rigidos Romana Orcheſtra Catones
Spectavit, timuitque Remi turba improba naſum
Cenſorem morum; ſed tù perfrictus in Orbem
Erigis audaces vultus, oculiſque procaris
Pulpita, quæ nuribus fulgebant culta Latinis.
Quodque magis miror, non te tabulata morantur
Ultima,(2) ubi molles maturant ova columbæ,
Et vicina (3) Lapæ peſſundat tegula criſtas;
Sed de Nobilium gradibus, tignoque ſecundo,
Quam ſequeris, pendere ſolet, generoſaq; fruſtra
Corda petit jaculum, ſi fluxit ab ordine quinto,
Nec ſextæ obtutu dignaris fulcra coronæ.
O ſi Romuleis iterum dare jura Theatris
Lectius, Oceanuſve queat, quam credo migrares
Hinc longè! Surgat Calaber; quid ſtulte moraris?
Eja, ſurge inquam. Min tù iſtud ais? Tibi cur non?
Surge, & in extremo ſedeas Phylodeme tigillo.
Sed quoniam leges periere, & crimine fati
Mixtus Eques ſervo, Proceres cerdonibus adſtant,
Et coram Lepidis eructat ſcurra falernum,
Ac cum Tongillo ſpectant aulea Metelli;
Te palpare audes, & prima ſedilia turpi
Ambitione tenes; cubito rixaris, & illum,

At-

Atquè hunc expungis; cunctis convicia jactas
Garrulus, & podium longis clamoribus imples.
Nunc quereris, tibi plus equo conſtare papyrum
Qui reſerat valvas, & denſo milite portas;
Nunc Cęlo inſultas, ſi frontibus una reductis
Scena minus celer eſt, aut ſi teſtudine cordas
Durius intorto percuſſit pectine dextra.
At ſi forte tuos titillant carmina lumbos,
Et delicatè cantaverit Iſtrio, neſcis
Stare loco, & ſpurcam labro ſorbere ſalivam;
Atque iterum cantare jubes, iterumque ſuperbe
Protinus exclamas. Quid quod nec ſubligar illi
Profuit, & ſtricto fęmoralia conſuta nodo?
Nam caſto fruſtra multum lucrata metallo,
Sæpe Tarentino diſcincta eſt fibula ſoldo,
Dum cupis unciolam digito penſare ſalaci,
Et mollem tenerâ ſemper lanugine pubem.
Maſturbatorem (4) caveas Marcelle, Seleuçum
Vendere ſi curas populo gentique togatæ;
Nam de plebe Numæ modulis cantare periti
Pene omnes: horum auriculas longiſſimus error
Sauciat, & rauco jugulatas gutture cromas
Plus horrere ſolent, quam circum epiredia murmur
Alternum, tetroque liquata piacula metro,
Quæ facit (5) occiduis pietas Hetruſca galeris.
At quò feſtivo mè raptat pulvere currus?
Ogigii diſtincta Dei plebs ſacra frequentat,
Totaque Flaminiæ laſcivit Roma feneſtris.
Inſanire licet nulla eſt cenſura Quirites.
Ecce phaleratos Princeps auriga caballos
Exagitat, flectitque manu quatiente lupatum;
Fronti bracteolas, & tintinnabula talis
Im-

Impoſuit, pexitque jubas, & mandere juſſit
Dente aurum; forſan jumentis ſerò ſolutis
Ordea cribrabit. Noſcis Gradive nepotes
Hoſce tuos? vos ò veterum ſimulacra parentum,
Dum fora prætereunt, ſanctos avertite vultus,
E pario quamvis rigeatis marmore, forſan
Dimidii, ruptaque nate exierit caprificus.
Sed properare juvat, nam tergo proximus inſtat
Ventidius, (6)ſtringitque rotis carpenta malignis:
Ventidius, nuper quem vendere vidimus unctas
Candelas, oleum, ſalſique tomacula porci,
Balſama nunc redolet cervice, & cruribus aptat
Phecaſium, ſiſtrumque tenet; cupit *ille* videri
Barbarus, ut teneras poſſit torquere puellas.
Cedamus properè: cum turbę ohe; cave, dixit,
Jrruit, & miſeros volucri terit apſide ſervos.
En matrona potens, & flectere docta quadrigam
Lora quatit. Ride, nam de temone latino
Excidit, & ſtrictas nudavit faſcia mammas;
Cætera ſecreta velum bombyce tuetur,
Servavitque ſuum mulier braccata pudorem.
O qui concurſus hominum! quantuſque cachinus
Circum tecta fremit, porrecto ubi fornice porta
Suſtinet æratos dentes, totamque videre eſt
Flaminiam! mirari deſine: comptulus illinc,
Pulvinoque ſuper tumidus Phylodemus equeſtri,
Deſpectat fatui ridens triſcurria vulgi.
Non impunè tamen; tenſo ſtat pollice contra
Chironomus, (7) fingitq; crebros manus improba cunnos.
Nunc longas digitis aures imitatur Aſelli,
Nunc plicat articulos medios, & cornua ſurgunt.

Olli cęparum circumdat colla monile,
Pendet & urceolus lateri, cucumiſque galerum
Excuſat, naſuſque gigas ſupereminet ora.
At varios poſtquam conſumpſit corpore geſtus,
Salve Bion, (8) inquit, te Rapula noſtra ſalutat
Nomine gallinæ quondam à prædone redemptæ
Arte tua; Legum magna eſt jactura, ſupinus
Dum ſpectas mimos, aurigas, mirmillónes,
Indutumque ſtola Umbricium, ſcutulâq; Lariſcam.
Non hic cauſidico locus eſt, celſoque Poetæ;
Te Platanus, te Roſtra vocant, doctumq; Lyceum,
Neſcio quid ſatius dicam, te juſcula pultis
Expectant, magnâque nitens ſcriblita patellâ.
Præcipue caules tendunt ad ſydera palmas,
Teque rogant unctos ne dedigneris amicos;
Utque magis (9) placeant, Graii ceromate circi
Pellucent dudum, nitidoſque imitantur Achivos.
O dignum lotii phiala, nardoque latrinæ!
Serica quid cubito crucias, altâque feneſtra
Deſpicis, & fatuo damnas ſpectacula rhonco?
Scilicet huc Procéres, & tè Proculejus eburna
Invexit rheda, libriſque avulſit amatis.
Hoc mihi? Tù ne mihi hoc jactas? Meritoria quanti
Biga tibi conſtat? quippe eſt rugoſa ſuperne,
Et lateri aſſuitur corium, quò męnia Birſæ
Extendit Dido, Regemque fefellit Jarbam.
Præterea attriti veniunt ſub frena jugales,
Et cute laxata ſilices cervice minantes,
Ut menſe Auguſto nolint tetigiſſe tabani,
Jejunoque diu moveant faſtidia feli.
Attamen hoc melius, quam ſi reptare per Urbem
Cogaris pedibus, calcare & ſtercora Romæ;
Nil

Nil facit auratus temo, hinnituque feroces
Cornipedes valeant; dum non tibi ſordida cæno
Pallia contingat magnas efferre per aulas,
Viminibus textam poteras aſcendere ciſtam,
Attica qua cliuo portatur barba Latino,
Cum fricto cicere, anguilla, vinique lagena.
Sed delicatas ſævo tibi frigore plantas
Coxit hyems, pedibuſque nequis contingere ſaxa.
Grande malum, nulloq; unquam medicabile ſucco
Pauperis ambitio! talos cauſaris ineptè,
Sinciput exclamat læſum, ſi percita turpi
Mens tibi fermento ſubſulat, & in jecore egro
Naſcuntur Baculi, Tunicæ magnæque Thiaræ.
Velle animo, demens, genii virgulta ſuperbi,
Et prohibe audacem cordi ſubcreſcere ficum,
Sanus eris, celerique vias calcabis aluta.
O ego ter fatuus, Calabræ qui pharmaca menti
Diluere aggredior, tempuſque unguentaq; perdo!
Quid mihi(12)Rullus agit? poſtquã ſiluere capellę,
Blandaque pendentes reſecavit dextra racemos,
Cumanæ Cryptam fertur ſubjiſſe Sybillæ,
Et reſponſa dare. I nunc Ammon, & tua cornu
Ara frequens Rullo meritos accreſcat honores.
At tibi neſcio quid Barrus deponit in aures,
Magniloquus Barrus craſſo de ſubere totus
Corticeus; circumſtat Olus, Labeoque recenter
Cirratus, crebris qui flavam nectit jotis
Cæſariem, & tremulũ ſub pectine plangit omega.
Quid quæſo Phylodeme tui cunctantur amici?
Nugas, atque iterum nugas. Modo fungus in horto
Quintilii natus, ſcabies terræque mariſca
Feſtinare jubet. Periit Reſpublica, ſi non

Boleti geneſi inſpecta, quò creverit aſtro,
Naturæque ſinus naſo penetrabis acuto.
Bellè equidem veſane Bion, petaſate Priape,
Curculio, veruexque bipes; tibi deficit una
Teſſera ſtultorum, viridem ſumpſiſſe lacernam.
Quod ſi vindiciæ nec pilea ſumpta catenas
Diſſolvunt animi, Barrum, Noviumque jubebo
Indicia effrenis manifeſta cavere furoris,
Atque inteſtatos tecum cænare Quirites.
O tandem ad Calabros redeat frons iſta penates,
Cujus ad occurſum gelido mihi frigore ſanguis
Cæſarieſque riget, ſolvitque puerpera vulvam.
Quid cunctaris adhuc? patriâ te rupe Capellæ
Invitant; feſſumque diù ſuſpirat aratrum,
Adventuque tuo laſciva mobilis aure
Commune ad Præſepe ſenex oncabit aſellus.
Hæc ubi mimus ait, palmis utrinque reductis
Aſſultant, & io clamant Phylodeme, Bion io
Laſcivi pueri; betaſque, & grandia cępe
Impingunt. Caveas ictus Phylodeme memento,
Ne decor ille tuus, pudibundaque gratia frontis
Vapulet, & pullâ doleant in veſte cynædi.

N o t æ.

1. *Phylodemus ad Prætoris Tribunal acceſſit, & quatuor prætenſos Satyrarum Authores accuſavit &c.*

2. *Phylodemus in Theatro ſemper in primo ordine tignotum locum tenet; nunquam in poſtremo ſitus nec in altiori parte vulgo dicto* la Piccionara *&c.*

3. *Lepa nomen Meretriculæ, quarum locus in ulti-*

ultimo ordine ſuperiori tecto proxima &c.

4. *Marcellus de Roſis Theatri Conductor Comœdiam fecit cui titulus* il Seleuco. *Muſici verò nullum meruerunt plauſum &c.*

5. *Societas Sancti Joannis Florentinorum, cujus Confratres dum ſuſpendendis in patibulo aſſiſtunt pileos quoſdam gerunt grandes, & molles, vulgò* a quattr'acque *&c.*

6. *Ventidius amicus Phylodemi &c.*

7. *Chironomus alter amicus Phylodemi modo illi ſuſpectus &c.*

8. *Rapula meretrix quædam ad quam ſæpiſſimè accedit Phylodemus cum ſociis &c.*

9. *Caules condire hortatur oleo quo Atletæ luctatores Græci ungebantur &c.*

10. *Proculejus filius cujuſdam Principis, cujus amicum ſe jactat Phylodemus &c.*

11. *Curriculus viminibus textus in quo vehitur Epiſcopus quidam Græcus &c.*

12. *Rullus paſtor Arcadiæ, qui carmina quædam recitavit de tribus capellis, alludens tamen tribus pueris olim ſibi caris &c.*

13. *Barrus amicus Phylodemi, & Sectano infenſiſſimus de cujus ultima oratione nuper in lucem edita, Author loquitur &c.*

SATYRA VIIJ.

NUnc age: dum longis reſpirant pectora curis
Mi Lupe ſcire velim, fortaſſe & in acta referre

 Quæ

Quæ nam præteritis ſtatuit fecitque Kalendis
Clara phalanx, aderas nam tù quoq;credulus illis.
Dicam equidem. Labente die convenerat una
Turba (1) frequens, ubi turpis hiat de marmore vultus,
Proluit & gelida ſitientibus ora caballis;
In primis Phylodemus erat, manibuſq; reductis
Ut ſolet, & nugis dare pondus idoneus, inquit.
Macte animo ſtudioſa cohors; virtute parantur
Coccina, nec crinem præbet Dea calva ſupinis;
Qui ſapit, ipſe ſibi fortunam fabricat, Aſtris
Invitis. Romæ ſumus: hic ubi cuncta renident
Imperii ſpecioſa notis, medioque popello
Sæpius auratis veſtitur bucca thiaris.
Vos quoque de largo cratere bibiſſe licebit
Si patulas dabitis noſtris ſermonibus aures.
Quis quis in hoc uno ſtudeat, noctesque dieſque
Cogitet ut doctus videatur. Splendida larva
Virtutis quantum Romana præſtat in Aula!
Hac facilè induimur, ſi noſtrum quilibet ora
Solverit in laudes ſocii, & conjuret amicè.
Hic putret in Venerem, dextra quatit ille fritillũ,
Alter ab immunda neſcit prodire culina;
Tù laudato. Ubi num Lartonius? ſeptima lux eſt
Ex qua ſe libris macerat, ſtudioque forenſi
Ad beſſem Galli bona de quincunce redegit,
Et jam Pragmaticos divino provocat omnes
Eloquio. Quid agit Plotinus? in abdita rerum
Viſcera ſollicitam conatur trudere mentem;
Illum non Veneris comites, nec blanda voluptas
Abſtrahere inde poteſt. Doleo, nam plurimus hęret
Marcidus ore color, vigilis fumuſque lucernæ.

Sic

Sic vitium obvolves fuco virtutis, & umbra;
Interea creſcet laudati nomen amici,
Totaque ſecuro poterit dormire cadurco
Sabbata. Sed multum præſtabit norma loquendi;
Arte loqui didiciſſe juvet, nam regula raro
Hæc fallit, probeque imponit; grandia ſemper,
Atque ignota aliis coram recitentur; Achivos
Scriptores paſſim mirari, & promere fas eſt,
Verbaque fallaci reſonent Gortynia labro;
Nec niſi cum kappis, fidiſque pugillar jotis
Signatum officii moneat labentis, & horæ.
Ille etiam docti famam venabitur, herbas
Cui medicas lento diſtillat cacabus igne,
Diſcit & humanos ſcrutari callidus artus;
Virſungi ductus noſcat, fluxumque cruoris
Harvei,(2)quid cornea fibra, quid vueus humor,
Quodque ſalivalis fungatur glandula munus.
Nec pigeat terras, vaſtique ſinum Ennoſigęi,
Fluminaque, & toto metiri, ſydera cælo.
Momenti exigui res eſt, dum ſplendidus adſit
Circinus, & vigili ſuſpenſa dioptra tigillo;
Nec multum referat, toto ſi dormiat anno
Æneus in theca, roſiſque rubigine quadrans;
Nam quota pars hominum,cũ dixeris hexacliton,
Puncta, ſuperficiem,conum,tetra edra, ſcalenum,
Non ſilet, & frontis criſpatur ruga ſenilis.
Verborum ſeries, & nuda vocabula rerum
Diſcere, quæ libri poſtrema in parte locantur
Sufficit, ut mediis natus videaris Athenis.
Magna mihi narras, Lupe, vix credenda Larino,
Qui ſedet in triviis, & rubro dimicat ovo,
Vilia laturus victricis præmia cruſtæ.

Sic habet. Ipſe ego ſum teſtis; majora ſuperſunt;
Cum nobis certum ſcribendi tradidit uſum;
Nam poſtquam miſerum culpavit ſæpe Maronem,
Quique novis hominum mutavit corpora formis,
Verba, ait, implumis volitant ludibria venti,
Scripta manent, ſeroſq; videt membrana nepotes.
Ergo agite,& multos poſt hac impunè papyros;
Et liceat totas calamo percurrere cartas,
Me duce, neve tuæ formident thura tabellæ,
Quidquid moliris, tumeat, moveatur, & artus,
Et voces habeat, quamquam natura negarit.
Si verno umbroſam deſcribis tempore ripam,
Fronde comas cingat, viridique tenerrima labro
Rideat, & nudas invitet margine Nymphas;
Sic flores riſum telluris, & aſtra vocabis
Purpureos cęli flores, tremuloſque pyropos;
Sed nunquam propriè dices communia; ſordent
Verſiculi tenues, exiles, & monogrammi,
Qui fulcris reptant, & de ſermone pedeſtri
Erectos nequeunt ad ſydera tollere vultus.
Nec ſic incipias. Terram verſabat aratro
Principio mortale genus, viridique ſub umbra
Dulcia ſecuræ carpebat gaudia vitæ.
Hoc facilè in triviis dicet Petaſinus, & Ollus,
Nec quicquam prægrandis habet, veriq; coloris;
Aude ſic potius. Communis viſcera matris
Ruſticus inſonti ferro lacerabat Oreſtes,
Ederet ut dulces prægnanti corpore fœtus,
Et circum patulas frondoſa palatia quercus
Pendula flammiferi ridebat ſulphura cæli.
Quã ſapit hoc! ſcalpitq;animos,intratq; medullas!
Eſt Poeſis quædam veluti formoſa puella,
Col-

Collibus albanis, ventoſo aut Tibure nata;
Quam ſi non Urbis genius, luxuſque polivit;
Incultis neglecta comis ad paſcua cogit
Errantes pecudes, patrioque ſeneſcit agello.
Fac eadem longos ferro tortore capillos
Colligat in nodum, ſpatioſam ſerica frontem
Ædificent, longoque ſolum ſub ſyrmate verrat,
Protinus augetur nomen, titulumque Matronæ
Vindicat, & geſtu, riſuque propinat amores.
Non ſecus excultas comitatur mille procorum
Examen muſas; quod ſi de gurgite primas
Caſtalio potabis aquas, humilique corollæ
De myrto, tenuique arbor de fronde placebit;
Vix tua clamoſi laudabunt carmina lippi,
Et raucus ſolis cantabis mane columnis.
Humanos animos quanto facundia niſu
Pelliceat, menteſque trahat quocumque jubetur,
Nos docuit Barrus, calamo qui vindice magnos
Eripuit fato Reges, famamque ſacravit
Venturi invidiæ (nec vanè credidit) ævi.
Ut belle aſſurgit! ſtravit tibi maxime rerum
Gloria pulvinar, fumant ubi littora fœdis
Strata cadaveribus. Tandem fortuna pudorem
Induit, & proſtant pretio virtutis honores,
Jam tergit lacrymas, & numine læta propinquo
Libera vectigal Provincia ſolvit amoris.
Sed quid Pumilio? fortis, nullique ſecundus
Hac iter ingreſſus: Phœbi nam ſæpe quadrigam
Ignovomis diſcinxit equis, calcarque Piroo
Addidit, & Cęli ſpatium dimenſus utrumque,
Fatali diras ſpoliavit luce cometas;
Placavit cythara Phocas, & grandia cete

Dum

Dum petit auroræ cunas, croceumque cubile.
Scilicet humano nunquam præfigere metas
Ingenio valeas, geminas dum concutit alas
Quas menti natura dedit; delirat ineptè
Gargilius veterum laudator, & uſque ſequendos
Auctores clamat, primi quos novère Parentes,
Et quorum attritus pingueſcit pulvere codex.
Utq; vitrum,& multo laudamus Mentore menſam
Jam fractam, & ligni miramur crura, ſic illi
Antiquitas pretio eſt, & ſolos computat annos;
Tantaque longevis tenet hunc reverentia faſtis,
Ut ſi fortè recens referat membrana Catonem,
Pacuviumque liget pretioſo fibula morſu,
Deſipere incipiant ſubita novitate decoræ
Pelliculæ: ſolum caries, & pulvis amantur.
At vos o juvenes, queis pectora liber inundat
Sanguis, & anguſtæ neſcitis vincula mentis,
Dicite non ævo tantum ſenioque referre
Scriptoris famam; forſan fuligo libellos
Illuſtrat, roſiſque ſedet ſapientia chartis?
Aut bona furtivæ fecerunt carmina blattæ?
Non ità. Quin veteres mè judice deſerat omnes
Qui vult eſſe aliquid. Noſtri proh dedecus ævi
Mirari antiqua, & verbis hærere minutis,
Ac veluti mentes, & non majora tuliſſet
Ingenia hæc ætas quam ſæcula priſca tulerunt.
Invidia careat ſermo, nam temporé ab illo
Mille artes crevere novæ, quin crevit & orbis
Grandior, & noto creverunt ſydera cælo;
Sic animos ſenſim digitis natura magiſtris
Fingere majores didicit, rerumque capaces,
Quas lux noſtra videt. Quod ſi modeſtia Rulli
Di-

Dicere quæ vellem non importuna vetaret,
Exemplis poteram vobis fortaſſe juvare.
Nam quoties repeto ternis cantata capellis
Carmina, & ingratis hærentes cruribus uvas,
Quantaque divinis inerant oracula lanis,
Excitor, & doctâ manant mihi labra ſaliva.
Nullus enim veterum tam miſcuit utile dulci,
Ut riſu prodeſſe queat, pariterque monere:
Dj Rullo tantum facileſque dedere Camœnæ.
Sunt alii genio molles, quos vernula captat
Etruſcus ſermo, Charites, tenerique lepores,
Et voces patrium quas guttur fecit opacas.
Hi ſcelus eſſe putant verbum ſi labitur ullum,
Quod non limpha prius medio purgaverit Arno;
Utque queant dulci condire poemata metro,
Ad Sorgæ latices properant, laurumq; pudicam,
Infernisque petunt carioſa vocabula bulgis.
Omne tulit punctum, Thuſco, qui carmine domnã
Prò domina dixit, qui ſævo ſpicula plumbo
Scit puerum Veneris torquere, atq; altera fata
Appellat famam, mortem, funuſque ſecundum;
Aſt ego jejunos reputo, cerebrique minores
Quos vanus captat titulus, nomenque Poetæ.
Traditus eſt faſtis error; pia thura Camęnis
Perſolvam, ſanctiſque adolebo cinnama flammis,
Quod mihi ſorte datum craſſas domuiſſe tenebras
Lampade Palladia. Non jactet Etruria Vates:
Nam ſi forte meos vellem prompſiſſe libellos
Buccolicæ, poterit paſſas Aligherius uvas
Cingere, & accenſo volitare Petrarca papyro,
Romuleæ feſtis cum lucent ignibus Arces.
O Lupe mecaſtor ſi leas, ne pendula Olympi

Ful-

Fulmina ſollicites, alienaque crimina ſontem
Efficiant. Tantum ne ſuperba cucurbita frontem
Erigit è limo, fœdaſque è ſtercore vires
Colligit, ut ramos tendat, cęlumque laceſſet?
Naviget Antyciram: tenui ſi naſcitur herba
Helleborum, celſas fas eſt ſuperare cupreſſus,
Roboraque & Cajo prognatas Conſule quercus,
Quæ calabræ prodeſſe cuti medicina laboret.
Quid tibi cum puro vecors ſermone? quid audes
Immundo Etruſcas labro fellare Camœnas,
Et ſacros vates, ſanctiſſima nomina, nugis
Immiſcere tuis? Ubi nam liber? ede beatæ
Buccolicæ Phylodeme jubar, membranaq; victrix
Explicet imberbem catinenſi pumice frontem;
Sed latitat, timiduſque ſinu prodire recuſat
Authoris codex, & ſparſo palpitat auro
Pallidulus. Jam non tibi proderit umbra lacernę;
Inſpexiſſe juvat, populoque oſtendere cartas
Stultitię pingues, vacuęque inſomnia mentis.
Principio famam Baccone emunctus ineptam,
Se nova divinæ jactat præcepta Poeſis
Tradere; gaudete o pueri, nam torva magiſtri
Hinc facies aberit, ferulæ, coriumque ſontrum;
Vos nimium Phylodemus amat, minimoq; labore
Scribere verſiculos Calabro doctore licebit;
Jam valeant numeri, valeat pede regula certo,
Et cum ſpondeo currat confuſus jambus;
Ipſe docet faciles Heliconæ ciere ſorores,
Quoque modo humanas intret ſapientia fibras,
Sedibus æthereis, & cælo lapſa ſereno.
Gratulor o Calaber, cui ſic veſſica cerebri
Intumuit, ſcelus eſt medicam protendere dextram.

Gau-

Gaude ſorte tua . Nunquam tibi deerit amenæ
Letitiæ fons, & menti cognata voluptas.
At quoniam largo fervet tibi munere Divum
Ingenium, plenoque fluis torrentior amne:
I præcor ad madidas Paulo comitante tabernas,
Hic ubi cum crotalis, & cruſmate, & utre ſonoro
Fęda coronatus celebrat quinquatria piſtor;
Dumque foris Icon, & ſancta ſigilla morantur,
Umbricii ructus, inter crepituſque Marulli,
Læva ſuſpenſusCitharam, cui cordą, nec unus
Deficit articulis modus, unumquemque ſaluta.
Dj tibi dent bella noctu dormire Puella,
O Juvenis,flammâ quem torquet turgida mamma,
Nec poſſint vitam diſrumpere fata maritam,
Neve tibi ingrati creſcant cum tempore nati
Sub diſciplina luxus moderare canina,
Illis non lenta dum fervet prima Juventa.
Io Philodeme Aplacet cantus moduliqne ſonori,
Ac gratæ capior tanta dulcedine vocis,
Ut videar penè redivivo adſtare Petrarchæ.
Cerne procul graditur Rullus; ſalvere memento
Rullum. Ecquis votiva negabit carmina Rullo?
O Rulle, o leta qui diceris arte Poeta,
Cui tanquam Stellæ rident in rupe Capellæ,
Atque favet (3) tardo dulcis textus Odoardo,
Diſcinctum Collo Plectrum tibi cedit Apollo,
Ut valeas crebris medicinam ferre cerebris.
O bene. non melius [ſi fas dixiſſe] Planella
Cantaret totâ quamvis plaudente Suburra.
Nectite ventriculis Phylodemi tempora Lippi,
Sutores, Figuli, Ciniflones, & Paraſiti,
Rhedarum artifices, Fabri, Laniique, Popeque;
Veſtra-

Veſtraque cùm miſeræ redeunt ad feſta Tabellæ,
Idibus ære dato tales conducite Vates:
Plurimus & patulo ſubſultet Julius orbe,
Et lætum ſiculâ reſonet meretrice lupanar.

NOTAE.

1. *Fons Farneſius ad potandos equos extructus &c.*
2. *Guiglelmus Harneus Author experientiæ de circulatione ſanguinis &c.*
3. *Textus quò uſus eſt Rullus &c.*

SATYRA IX.

ARcadiæ rediere dies, feſtæque Kalendæ
Muſarum. Surgunt viridi ſubſellia circo
Artifici contexta manu, doctuſque Colonus
In calamos juſſit (1) ſubcreſcere tonſile buxum,
Et noſtræ foliis imitari Inſignia Gentis. (tis
Jam(2)reduces Nimphæ gaudent,nitidiſq;Hyacin-
Tempora regali properant redimire ſub umbra.
Bufonem Calabrum procul hinc arcete Puellæ
Pierides. Terret Paſtores improba cornix,
Omine quæ diro Laurus infamat amicas,
Et vetat inſontes Nemoris cantare volucres.
Albo Paſtorum,(3)& veſtris expungite faſtis
Suppoſitum Nomen. Non hic natalia traxit
Parthenope; Patriæ titulum mentitur, & ortus
Diſſimulat, (4) Civemque ſuum, qui perlita fellè
Oſcula Divino potuit libare Magiſtro.
Atro debuerat potiùs carbone notari

Inter

Inter vitandos ; & muro pendulus alto
Monſtrari digito matrum , timidique popelli ,
Quâ (5) gemino Ripis conjungitur Inſula Ponte ,
Atque inſcripta Reos prohibet ſalvere Columna .
Deficit hoc unum Mundi tibi Maxime Rector ,
Securos aditus Muſis præſtare Latinis ,
Intactumque Nemus vitiis , & Apolline dignum ,
Ut tua venturo commendent Arcades Ævo
Facta , quibus præſens Ætas, & Roma ſuperbit .
Scilicet Imperii , rerumque potitus habenis
Dividis auguſtas in publica commoda curas ,
Et vigili nunquam reſpirat fronte Thiara .
Hinc aures(6)pronæ in vulgus,vultuſque patentes
Principis , (7) hinc vafri moderata licentia juris ,
Et caſtigati tanto ſub Judice mores .
Jamque fides , pietaſque tuam ſucceſſit in Aulam,
Et virtus (8) potior nummis , dulcique caduco .
Decolor eſt Aurum inſolitæ pallore repulſæ ,
Et tinctas olim venali murice lanas
Reſpicit , atque ſuos queritur perjiſſe lacertos .
Sed Patris titulum quanto mercaris amore ,
Cum nudum vulgus , Plebemq; amplexus egenam
Fortunâ (9) meliore foves, tectumque , laremque
Largiris , magnique tui Patrimonia cordis .
Hoc cenſu lætatur inops , friguſque famemque
Deſpicit , atque aliud ſentit te Principe fatum .
Si placeat Superis longùm tua Numina Terris
Tradere , non egrê patimur divortia Cœli .
Quid memorem veteres Tyrreno in Littore portus
Auſpiciis (10) creviſſe tuis , & fida Carinis
Oſtia Byzanti , Nautaſque ciere Britannos ?
Quin etiam (11) puri latices, & ductile flumen
Arcu

Arcu ſubſtructo percurrere diſcit in Urbem ,
Te monſtrante viam . Miramur grandia Facta ,
Et Regno majorem Animum , longæque futurum
Ætati exemplar . Sed quis reſonare docebit
Laudibus Antra tuis , & tanto Numine Sylvas ,
Si Calaber pulmo , Rulluſque caprarius obſtant
Magnanimis cęptis ? Jam noſtra Thalia laborat
Scribere , quæ ſeros placeat legiſſe Nepotes :
Sed reus invidiæ traducor , & ante ſeverum
Poſtulor Ædilem, tamquam mea carmina famam,
Patriciumque (12) decus violarint livida morſu .
Non ego , (13) tu Satyras ſcribis Philodeme,Ca-
Qui vitiare meas audes,& ſpargere fellê . [mænas
Mentiris bucco , medioque in gutture verba
Vix concepta , tui redolent mendacia cordis .
Non loquor ambiguê, nec egēt Interprete verſus.
I lege : quæ noſtras exornant nomina Cartas ,
Perſius , & Flaccus , vetereſque habuere Poetæ ,
Et Pindi lauru , truncoque notantur in omni .
Nævia,[14]Quartilla, & Lalage, famoſaq;Galla,
Quæque nigros didicit Laufella efferre maritos ,
Cui non nota prius ? qui ſic jejunus, ut illas ,
Dum canit,in proprios, ſapiens,nō transferat uſus?
Si faciem multo medicavit Gellia coſmo ,
Pixide non unâ contenta , & Conjugis ore
Fœda colorati liquit veſtigia labri :
An non hæc eadem Meretrix Regina Canopi ,
Et Tonaquil fecit , Poppeaque Cæſaris uxor ?
Sed vetitas implet tabulas Quartilla , ſuoque
Mittit amatori . Quid deinde ? Et Julia Ephebos
Dilexit , nitidoſque Procos Romana Puella
Quolibet in Circo limis feriebat ocellis .

Has

Has ego verſiculis retuli, Cinereſque Latinas
Muſa petit, gelidoſq; fricant mea carmina Manes.
Mè non immundo Mater generavit Ovili
Dum tondet Pecudes, nec noſtra infantia Cœlum
Vile hauſit, luſuſque fuit tractare bidentes:
Sed mihi gentilis de ſanguine fluxit Avorum
In venas humor; moreſque, & publica vitæ
Officia, à tenerâ docuere ætate Parentes.
Artibus his crevi. Potuit quis lædere noſtrum
Matronas, totamque ſecare licentius Urbem,
Si ſapiunt, æqua penſabunt lance Quirites.
Effugiſſe cupis tenui vulpecula rima,
Atque alios onerare tuis nequiſſime probris,
Sed non eveniet. Calabrum Romane caveto:
Illius audaci temeraria labra veneno
Diſtillant, ſpurcoque oritur boletus in ore.
O utinam Rulli, quæ ſtringit ſerica lumbos
Faſcia cinctutos (15) commendatura Cethegos,
In collum celeri tranſiret provida nodo,
Strangulet ut nigro mendacia fęda palato,
Græculus & longum faciat Philodemus Jota!
Sed ne deficiant ſannæ, riſuſque, jocique,
Longum (16) vive Bion, Petaſuſq; expectet Etruſcus:
Præſtat enim cerebri propius cognoſcere lippi
Naturam, quantumque tuæ ſit mentis inane.
Nam licet Aoniis feriant emiſſa Pharetris
Tela cutem, & durum ſcalpant tibi vulnera callum,
Nil Recutite doles, nec palmam ſubtrahis. Atqui
Ad ſcuticam Pueri trepidant, falluntque Magiſtrũ,
Callida dum ſęvum declinat dextera flagrum.
Aſt ego cum dixi, faciles malè perdis Amicos,
Ambitione tumes, vanus te decipit Aulæ
E Fulgor,

Digitized by Google

Fulgor, & occulto ſubſultat crimine pectus :
Tu potius gaudes, & criſpas nare chachinnos.
Diſplicet hoc unum, quod amamur, quodq; probamur,
Et jam trans Alpes, & magnum navigat Æquor
Gloria Sectani. (17) Nec Gothus dicor, & Hunnus
Barbariæ tumidus, calamoque nocentior illis
Flavia (18) qui rabido terebrarunt marmora ferro,
Et nidos fecere avibus, viridique lacertæ.
Cordi nimirum petulans capifriculus hæret;
Extenditque fibras, & ſurdas occupat aures.
Stoicus eſſe cupis; ſed tè Metrodorus in hortis
Cur toties myrtum vidit, bulboſque legentem?
Deſine (19) Gaſſendi mirari ſcripta, tuiſque
Conſiliis vitæ fines laudare beatæ,
Cui potior virtute fuit malè ſana voluptas.
Nam lateri, veſane, tuo ſi ſemper adheret
Imberbis Genius, ſi mollia baſia captas,
Si læva jugulas homines, parciſque crumenæ;
Jam tibi, nec Zeno, nec Porticus illita barbis
Argivis titulum faciet, ſed nomen habebis
Turpe, & tè dicent Epicuri de grege porcum.
Tunc poteris Solymę quondam fabricata Trophęis
Delubra, (20) & veteres quas Pax incoluit Ædes
Viſere, cum ſuibus cognatis, albaque lardo
Omenta, & pingui tuceta parare macello.
Hæc ego dum ſcribo, ſurgunt tibi vertice Criſtæ
Coccineæ, ut volucri Juvenis quam donat amatæ,
Cum precibus Manes (21) Inferni, & thure piantur.
Geſtis enim nugis mendicam quærere famam,
Bracteoliſque ſonas; ſed quis mirabitur illas?
Nempe cui mos eſt Tripodes, parvasque Patellas,

Curriculum, (22) & rubro ſuſpenſa crepundia filo
Emere, ubi ſignat majorem Piramis umbram..
Dic, bombax (23). Tritæ ſi Mercurialis Apella
Scruta togæ, & pallam non uno vulnere ſartam
Laudat, & oppoſitâ ſpeculatur luce lacernam:
Non ne mali ridet Tongillus licia panni,
Et calce obtritum cogit diſcedere Verpum?
Ergo ego Tongillo pejor ridere vetabor
Sermones, cartaſque tuas, quas undique rebus
Aſſutis, verbiſque ſtudes farcire Pelaſgis?
Non ita; ſed quoties Platani reſupinus in umbra
Immenſum penſare chaos, vaga ſemina rerum
Incipis, & Phebi curſus, Lunæque labores,
Indignor, tantâque jecur mihi bile tumeſcit,
Ut potiùs vellem Latios audire bubulcos,
Cum duro vendunt effoſſa Numiſmata raſtro,
Antinoique comas, vultumque Neronis arator
Judicat, atque recens audet culpare metallum.
Quid mihi Criſippos, ærumnoſoſque Solones
Arceſilaſq;probas?Redeant hæc nomina Athenas,
Teque (24) joci Paridis capiant, lepidiq; colores
Bertoldi, & crebra dilectus imagine codex.
Hunc facilè invenies, ſi docti Scrinia Fuſci
Ciſtaque Virginii pateat, Pluteuſque Vagelli,
Quò viles auro cultæ ſervantur Etruſcę,
Et vetus exeſum veſtit membrana Platonem.
Proh fatum! Calaber laſcivit ſcurra, ſuoque
Callidus ingenio, Romæ qui prandia donet
Invenit, & caligis tunicâque exultat inemptâ.
Partealia(25)Euganeus,pulchro cui pectushoneſto
Fervet, & Aſcreas delibat cominus undas,
Ut ſatur ad vigilem poſſit remeare lucernam,
 Cogi-

Cogitur indoctis componere verba Cucullis.
Sed tibi non aſtus, nec linguæ diſcolor uſus
Quidquam proficiet, cinctique inſania Rulli.
Contemnère, miſer, trullaſque, & fictile Tuſcum
Ornabis; figulus ſic te dignetur Apelles,
Nec facie urceolos timeat ſpurcare Saonæ,
Aut pretium Craſſæ nomenque perire diotæ.
Infelix operam perdo, nam læva mamilla
Nil ſapit, & ſicci torpet tibi vena cerebri.
Lanuviis Phylodeme tuis qui ſubligar eſſe
Credidit, undantes credat ſe poſſe caminos
Veſevi, & Tanais cyatho compeſcere fluctus.
Fęda tibi nimiùm ruptis tumet Ernia fibris,
Irtaque pendentes lambunt crura Enterocelæ;
Ut ſcrotum nequeat centum tibi faſcia vittis
Cingere; ni doctos tranſmittat Nurſia cultros,
Vulnere qui medico vellant ab origine morbum.
Sed quota pars hominis Calabro reſtaret adéptis
Teſticulis? ægro ſuſpendat ab inguine Tonſor,
Et paulum ceſſet captiva novacula thecis.
Namq;(26)fabasLabeo,&Barrusceroma paravit,
Queis longo liniant appenſa coagula junco,
Et pluſquam media tumidos æſtate pepones.
Quod ſi non prodeſt geminus tibi Cingulus, actum
eſt:
Penſile portabis pondus, riſumque ciebis,
Dum tunicis verrunt ſilicem inteſtina ſolutis,
Atque inter talos ſequitur pars magna Bionis.

NOTAE.

1. *Penſile Theatrum noviter ad Arcadiam conſtructum in hortis Farneſianis &c.*

2. *Inſi-*

2. *Inſignia Parmenſium Principum, in quorum ſolo Arcades nunc canunt &c.*
3. *Albus, ſeu pagina, ubi ſingula Paſtorum nomina deſignantur &c.*
4. *Philodemus in albo ſe inſcripſit Parthenopeum, cùm ſit ex Oppido Scaleæ, ac Concivis Iudæ.*
5. *Locus S. Bartholomæi ad Tyberinam Inſulam, ubi ſignantur nomina percuſſorum Anathemate &c.*
6. *Qualibet hebdomada Audientia publica Pauperum in Aula Pontificia &c.*
7. *Nonnulli Iudices, & Tribunalia abolita &c.*
8. *Vacabilia de medio ſublata &c.*
9. *Hoſpitium in Palatio Lateranenſi pro Pauperibus erectum, & dotatum &c.*
10. *Immunitas conceſſa centum Cellis, ac Portui Tyrreno &c.*
11. *Signat excitatum Aquæ opus à cineribus Trajanis &c.*
12. *Philodemus in Sectanum invexit, quaſi Patricios, Patriciaſque ſcelerum accuſet in Satyris &c.*
13. *Apologeticus Authoris &c.*
14. *Nomina in Satyris antecedentibus notata &c.*
15. *Rullus cinctus incedit, dum Toga utitur &c.*
16. *Etruſcorum Societas, vulgo* della Miſericordia *&c.*
17. *Philodemus Satyras uti barbaras improbat &c.*
18. *De Coloſſeo loquitur ab Hunnis, Gothiſque diruto &c.*
19. *Gaſſendus in vita Epicuri per Phylodemum explicatus &c.*

20. *Sujum Nundinæ celebrari ſolitæ prope Patis Templum in Foro Boario.*

21. *Mortuorum Exequiæ in Laribus Divi Gregorij feſtivo celebrantur apparatu, ubi vana Iuventus ſolet empta donaria Amaſiæ largiri vulgò* (pagar la Fiera &c.)

22. *Nugæ luſoriæque res, quæ pueris parantur diebus ſacris Martii apud Divum Petrum &c.*

23. *Verpus, qui die Mercurij in Agonali vendere perhibet pan[…]a, muribus corroſa &c.*

24. *Paridis, & Viennæ, nec non Bertoldi fabulæ figuris exornatæ &c.*

25. *Celebris Poeta, qui Conciones vendit Religioſis &c.*

25. *Duo Amici, & Fautores Philodemi &c.*

SATYRA X.

Hactenus imbelli, Muſæ, jaculaſtis ab arcu
Spicula, quæ melius poterant latuiſſe pharetrâ;
Scilicet inſani vilis farrago libelli
Romanâ emptorem fruſtra mendicat in Aulâ,
Noſtraque turpiculæ damnantur carmina fellæ.
Sic Phylodeme jubes; poſtquam tua livit arundo
Degeneres (1) verſus, miſeroque legentis ab ore
Delevit nebulas; pingui fit penula lardo
Sectanus, ſpiſſiſque vetat convivia muſcis.
Nil moror; ecce tuis delibo plurima chartis
Oſcula, (2) Plautinoſque ſales, & candida Voſſi
Verba,

Verba, ſupercilio miror contractus utroque.
Proh quantum ſapientis habent, ſalſique leporis
Nomina, (3) Bambalio, Scortator, Larva, Popino!
Quam redolent multâ vigilatos nocte labores!
Hæc ego dum relego, Muſas, aut forte loquutum
Eſſe aliquem credo, cui non mortalis origo.
O dignum trudi, quò mortua bucula vivos
Incurſat fatuos! Hoc eſt quod ſubdole palles,
Tempore [4] quod longo te lux non publica vidit
Languidulusque cubas. Jacta veſane cadurcum
Currat ut Archigenes aliquis, qui pharmaca por-
Et vena ſaliente ictus examinet omnes. [tet,
Rulle quid expectas? Hæc eſt urina Bionis
Cocta parum. [5] Nocuit Pimplæ de gurgite potus
Aſſiduus, foliumque virens, & laurus amara.
Accede, & matulam naſo dignare canino,
Nec pudeat plenam digitis attingere pelu'm.
Inſpice quæ lentas accendant ſulphura febres,
Et vitiata acido fluidorum vaſcula nitro:
Dic aliquid de naturæ, morbique veneno;
Præſtat enim Calabro feſſam producere vitam,
Filaque crudeli præbere recentia Clotho,
Ne Virtus, Pietaſque cadat, ne triſtis Apollo
Arcadiæ fines, & regna canora relinquat,
Meſtaque pullatæ veniant ad buſta ſorores. [bos,
Grande operis pretium! noſcit Phylodemus jam-
Pyrrhichioſque pedes, nec ſyllaba fallit inertem,
Atque ſolęciſmi nares corrugat odore.
Quin potis eſt centum (ſi Dis placuiſſet) ephæbis
Corrigere hexterni, penſique errata diurni;
Sed ferulâ [6] ſonat ante fores, cautuſque Magiſter
Te cirratorum prohibet conſidere tranſtris.

 Per-

Perge meas igitur calamo purgare camęnas,
Plurima ne ſeros offendat menda nepotes;
Parce tamen rigidis Sectanum agitare cachinnis,
Vilis [7] ubi paſſim torpet ſcriptoris arundo,
Et male diffuſo peccavit ſepia ſucco.
Sed quis nam tulerit Calabri convicia, dum ſe
Virginei, [8] niveique cupit jactare pudoris?
Tam pia nulla foret criſpis Virguncula vittis,
Quæ catulos, feleſque mares tetigiſſe vetatur,
Dimidioque patrem, fratremque ſalutat ocello.
Nam ſi forte meas conceſſa licentia muſas
Exhilarat, miſcetque jocos feſtiva Talia,
Protinus,(9) o mores! o perdita tempora! clamat,
Queis paſſim Satyri ludunt impunè ſalaces,
Atque docent pueros quæ ſint connubia lævæ.
Tù ne meos audes, tù caſtigare libellos,
Qui ſpurca ad Græcam conſumis thura Cotython,
Cui ſignat [10] ſtabiles mulier petaſata tabellas
Conjugii, nec prima facit divortia barba?
Non ego Tongillus, nec ſum de plebe *coruſcà*,
Bractea quos, vacuique capit tinnitus ahæni.
Quamvis enim torto luſtres altaria collo,
Menſaſque, & pulvinar contrectare Deorum
Sæpius accedas; non omnes ſubdole fallis,
Aſtutæque tuo nequeunt in pectore vulpes
Occuluiſſe caput, turpiſque volumina caudæ.
Audeat [12] hoc potius, qui tædæ jura maritæ
Neſcit, & horridulus ſiccâ cum conjuge dormit,
Et mane urticam luſtralibus expiat undis.
Aut qui zelotypo furialis vulnere ferri
Pendula (13) marmoreis truncat genitalia ſignis,
Et Galbas, magnoſque cupit caſtrare Nerones,

Ne

Ne forte offendant oculos, pictoque flabello
Lumina cogantur caſtæ velare puellæ.
Sed tibi non dabitur talis Phylodeme poteſtas,
Provida nec lippo collyria diluet Orbus. [chartis,
Culpor (14) & inde meis quod nulla eſt fabula
Nec mihi Naſonis placuerunt carmina vatis;
Nullus enim fragiles per me puer induit alas
Icarus, atque abſunt fætæ mala robora Mirrhæ
Nec duxi abiegnam ſtabula ad Gortynia Vaccam.
Diſpeream, centum ſi nobis nomina non ſunt
In promptu, & pariles nugæ, ſimiliſque farinæ;
Nam calicem, & rixam lapitheam, ſtans pede in
Et dicam quali diſcordia venerit ovo, [uno,
Quæque coronato ſulcavit bacula cornu
Æquora, quò cecidit gladio Babylonia Thisbe,
Et quot pellicibus coniux deluſa Tonantis
Arſerit, ingrati repetens veſtigia lecti.
Tam bene nec Labeo forſan cognovit jotas,
Armaque damnoſo Licinus depicta papyro,
Quam filices mihi Pirra tui, galeataque Cadmi
Nota ſeges, patriiſque puer dilapſus habenis.
Sed non ampullas, fumumque, & ſplendida vendo
Quiſquilia. Has habeat merces, qui gramine Tu-
Centum paſcit equos, felix agitator equorũ, [ſco
Cujus venturis (15) dominantur carmina luſtris,
Nec timet Heroas, & Regna domare catenis.
Nempe ego Vandalicæ ſtirpis, ſevumque propago
Barbara (16) Gothorum, intègros accedere fontes
Dedignor, viliſque palus mihi præbuit undas.
 Sunt alii, noſtros quorum cenſura momordit
Verſiculos, tenuique putant frigeſcere carmen
Delectu, tantis nec reſpondere paratis.

Si

Si mihi Pieriò mactandus vulnere cimex
Occurrit, noli ſpolium expectare Leonis.
Talia ſi Lucus genuiſſet monſtra Nemeus,
Alcides nunquam tua clava micaret ab aſtris,
Nec tibi molle femur vellus leſiſſet Jolæ,
Horrida dum poſito tractabas vellera fuſo.
Commendant fortem generoſa pericula dextram,
Exerit & ſolum ſe per contraria Virtus.
Fregerat alpinas conſtanti pectore cautes
Annibal, & magnâ Capitolia terruit umbrâ,
Dum ſteterat fortis Traſymeni ad littora Conſul,
Et formidatæ Romano milite Cannæ.
Fac trepidâ expectet Dictator callidus Urbe,
Deficiatque hoſtis: Pæno de caſſide criſtæ
Labuntur, torpetque Ducis victoria luſci.
Scilicet, & noſtro certamine deficit hoſtis,
Qui claram faciat juſto diſcrimine pugnam;
Nam poſtquam largo ſedit mihi pectore Apollo,
Et furor, & vires adſunt, pendentia jacto
Retia nequicquâm, vacuâ gladiator arenâ;
Vna etenim ſemper nobis, eademque recurrit
Materies, Calabri ampullæ, & mendacia Rulli.
O utinam in lucem tunc me mea fata tuliſſent,
Ad ſtrepitum citharæ, cum Princeps hiſtrio Romã
Perdidit, & cupido ſpectavit lumine flammas;
Fælix illa quidem ſi non placuiſſet Homerus!
Aut latitans canus, cum molli in rupe Tirannus
Patricio ſævos macularet gutture faſces.
Delator nummus, magnum patrimonia crimen
Divitiæque ſcelus fuerant, & cæde piandum.
Quos ego tunc vitiis colaphos, digitoſq; crepantes
Incuterem! me non gladius, tunicæque moleſtę;
M a-

Macraque jejuni terrerent ora Poetæ
A ſtudio Veri. Potius mactandus ad aras
Invidiæ, & rari cecidiſſem victima honeſti,
Quam Procerum ſtulto tractaſſem crimina palpo.
At nunc in ſanctâ, mores quos fulminet Urbe,
Muſa petit fruſtra. Forſan nec Flaccus haberet
Hac ætate ſales, & ſemper in ore cachinnos.
Jam Romæ (17) nullo proſtant colyphia furno,
Atque ocreas nullæ gaudent tetigiſſe puellæ,
Non puer intonſus miſcet tibi pocula, deſunt
Balnea, Circenſes, deſunt & fervida metis
Orbita, & Auſoniis notus Mirmillo Theatris.
Fortunæ & morum rara eſt concordia; poſtquam
Imperium cecidit, nervis execta libido
Palpitat, & putres tendit moritura lacertos.
Quid Romæ faciam? non eſt quod bile tumeſcam
Si curto (18) abnormis raptatur mentula mulo
Celeſtem domitura canem, coriumque pudendum
Micturit ad Domini valvas, aut pulvere longo
Flaminiæ, lectâ ſi penis aquarius undâ
Arrigit, & centum mulcet ſiphonibus æſtum.
Quid mihi (19) ſi dubiâ diſcurſat luce, femurque
Molle puellarum furtivo pollice mordet
Criſpus, Juleâ cum lucent nocte feneſtrę
Torque lucernatum, cellâque ſalarius unctâ
Bracteolis (20) didicit miſeros ornare Penates?
Hoc matres caveant, & filia nubilis albis
Hircois totam nolit prurire per Urbem.
An calamos acuam quoties latrante moloſſo
Aſſurgit, (21) ſolemque tenet Romana juventus,
Cum bos emeritus, flaviſque lutatus ariſtis
Victima patricia trahitur non ultima menſę?
Nec

Nec levis indignor, Proceres dum mutua ſolvunt
Officia, (22) humanæ ſi magna per atria repunt
Spongiolæ quędam, & digitis luctantur acutis,
Ac poſtquam gelidę ciathos, & mille cacai
Pocula ſiccarunt, mappas, vitreoſque lacernâ
Occultant calices, cubitumque cavere jubentur.
Sunt, fateor, ſcuticâ quędam non digna flagello
Crimina, quę facilis debet tranſire Poeta,
Seu potius criſpo ridens perſtringere naſo.
Tù ſolus noſtros acuis veſane furores,
Nec ſatis attritus decimà Phylodeme ſagittà
Contrectas vulnus. Fruſtra panacęa laborat
Ulcera ubi putrent, & deſperata cicatrix.
Quis furor immeritas chartas fœdare cruore
Stulticię, (23) & cęco *Lucis* plaudente Senatu
Pannoſam, fattamque togam jactare popello
Litteralis Gręcis, (24) quas non intelligis ipſe,
Qui ſcribis? cunctos quantumlibet ingere grajos,
Totaque putidulis me lingat Achaja kappis,
Nil equidem ſtupeo: nec habet tua Gręcia mendax
Quod mirer, pręter ſtatuas, unctamque paleſtram.
Scribunt indocti paſſim, ridendaque multi
Carmina micturiunt. Non omnes Phębus amavit;
Noſcunt ſe tamen, & ſua, venaleſque flabellis
Exponunt (25) obulo muſas, nugaſque canoras.
Tû ſecus; inſomnis ſi quidquam ſtertis, in albo
Pieridum Phylodeme refers, titulumque ſecundû
Ferre nequis. Paſtor Phębe dilecte, receſſus
I pete, quà denſas pandit tua Caria ſylvas,
Aut placeat ſocię conſortia rumpere chartę.
Scilicet appendix (26) tecum malè ſuta Bionis
Liti-

Litigat Endimion; ignavaque pagina frontem
Occupat, extremi fuerat, quę cauda libelli.
Sit tamen hoc patrii moris, vitiumque puſillę
Mentis, quam rapit ambitio, laudiſque libido.
Illud non tulerim, te menſę accumbere juſſum
Reticulum turpe, & fœdos adducere vultus,
Illotamque manum. Ad cœnam ſi forte vocaris,
Aut umbra (27) accedis, geminas tondere capellas
Forfice ne pigeat, puerumque emungere naſum.
Cum ligulâ cochleare juvet, viſâque patella
Caulibus oppletâ, parce unguem extendere nigrũ,
Cara nec obſcęno detergas juſcula mento.
Sed tibi munditiæ nunquam placuere; recumbis
In menſa(28)tamquam ſtabulo; thoraca bovillum
Induis, & fędo circumdas tempora lino,
Quod centum aut plures ſerâ de nocte lucernas
Olfecit, craſſumque poteſt condire legumen.
Ah potius volucris mihi ſit conviva Celęno,
Diripiatque dapes, tetroque flagellet odore,
Quam videam caput hoc,& ſordida fęcibus ota;
Hanc ſputo faciem, non jam petjiſſe ſalivà
Fas erit (29): ipſe docet quid diſtent ſputa ſalivis.
Quorſum hæc? languet adhuc Phylodemus,& inter amicos
Flebile manavit murmur lacrymæque propinquę,
Heſiodus tamquam, doctuſque cubaret Homerus
Incertus vitæ. Nitidum veſpillo cadaver
Deperit, & Syrium pollinctor livit amomum.
Jam tuba, candelæ, marmor, tituluſque ſepulchri
Adſunt, & mæſti neglecto crine cinædi,
Et quæ venales emungit Præfica luctus.

Quid

Quid te mortalis delectat ſarcina ? Solve
Vincula magne Bion; non eſt, quod carceris hujus
Umbra tuos oculos rerum caligine velet.
Jam te Socraticæ quondam docuere cicutæ [quam
Eſſe aliquid(30)Manes,nec,dempto corpore,quid-
Juris habere rogum. Supereſt pars optima noſtri,
Cui tumulum tranſire dedit cœleſtis origo,
Evictaſq; ſuper volat indignata favillas. [bellas,
Sed placet (31) extremas Phylodemo implere ta-
Solarique ſuos, & tradere pignus amoris.
Laudo conſilium. Veniat cum teſte lucerna,
Et veniat codex ſeptem ſignandus atatris.
Incipe. Malthino cedat Lucretius, atque
Pindarus, & docti Bacconis opuſcula Barro:
Ypſilon, & multas Labeoni tradimus Alphas,
Jamque habeat quotquot nutrit Campania fruges
Pumilio, ut macros valeat ſaturare caballos.
Cedat item Giaſo noſtrorum cura laborum,
Et quaſcumque meas ſeruant Armaria muſas
Occidere haud quaquam fato patiatur eodem.
At tu cauliculis, patriâ mihi carior offa
Eſto heres Rulle; & poſitis in fęnore nugis,
Verſutæ ſtudeas augere peculia linguæ.
Verte domos, iura, fas ſit tibi dulce, nefaſque,
Et quæ jam dedimus Calabri præcepta pudoris
Cuſtodire juvet. Non eſt quod cætera ſerves.
Sic feror Eliſias poſt funera lętus ad umbras,
Perque nemus video Euripidem,Zenofonta,Baco-
Affari cupidos,dextram protendere dextræ. (num
Care Bion ludis; fruſtra tua fata morantur
Sandapilæ, (32) vacuâque teris pietate ſodales.
Non Quartana lues, te non febricula torret,
Sed

Sed levis ambitio, cèrebrique immanis hiatus,
Cui divina tui nequeunt documenta Platonis
Ferre opem. Cunctamur adhuc? diſcedite muſæ;
Erravi, Calabro grandi qui carmine famam,
Æternumque dedi nomen. Si probra merentur
Exitium neſcire rogi, peccare juvabit.
Talia nec forſan Virtuti premia reſtant.
Jam pudet(33)ulterius nugis dare pondus ineptis,
Ridendumque caput venturis tradere faſtis.
Te potius celebret mendacior ore Pelaſgo
Rullus, Apollineæ cui non placuere Corollæ,
Sed quæ de viridi turgeſcunt pilea lanâ,
Et celeres Jani rident impunè Kalendas.
Sic ibis totâ cantandus nocte Suburrâ
Dum furit urticâ, merenſque in limine tabet
Rapula, & advenuum ſeri ſuſpirat amantis.

NOTAE.

1. *Sequaces Phylodemi gloriantur ejus Criticas, & Cenſuras Sectani Satyras penitus proſterniſſe &c.*
2. *Phylodemus in dictis Cenſuris jactat ſe Voſſii, & Plauti lepòres ſuperaſſe &c.*
3. *Improperia, quibus referta ſunt Phylodemi Reſponſa &c.*
4. *Philodemus ut Criticas componeret ſe longi temporis ſpatio ægrotum finxit &c.*
5. *Rullus Medicus &c.*
6. *Phylodemus omnibus à Scholis arcetur &c.*
7. *Librariorum errores per Phylodemum cenſurati &c.*

8. *Phylo-*

8. *Phylodemus ſcrupuloſus dum legit in Satyris verba obſcæna &c.*

9. *Exclamationes Phylodemi in Criticis appoſitæ &c.*

10. *Mulier penulatam Calanticam gerens &c.*

11. *Phylodemus ſpirituali vitæ addictum ſe fingit ut Mundum fallat &c.*

12. *Diſcipulus moderni cujuſdam Quietiſtæ Matrimonii uſum prohibentis &c.*

13. *Zelatores ſcrupuloſi antiquarum Statuarum caſtratores &c.*

14. *Phylodemus Sectani Satyras damnat utpote eruditionis, & Fabularum nudas &c.*

15. *Carmina quædam Pumilionis in ſuo Endimione*
Ma i verſi miei ſaran Signor degl'anni
A domar Regni, e incatenar Eroi &c.

16. *Titulus in ſua Egloga per Phylodemum appoſitus &c.*

17. *Offa quædam juxta Romæ uſum, quæ vulgo dicitur* Maritozzo &c.

18. *Dolia, quæ ad irrigandas vias circum Palatia Principum, tempore æſtus inſeruiunt &c.*

19. *Feſta nocte fieri Romæ conſueta vulgo dicta,* de Lumini &c.

20. *Tabernæ Macellariæ ornatæ &c.*

21. *Juvenca per Romanos pueros, & adoleſcentes ad Lanienam ducta &c.*

22. *Multi bibi in Procerum viſitationibus accurrere ſoliti, qui poſt potum ciathos etiam furantur &c.*

23. *Phylodemus ſententiam ſequitur de Luce univerſali &c.*

24. *Phylo-*

24. *Phylodemi Criticæ inſulſe, & græcis verbis abs rè plenæ &c.*
25. *Ignavi Poetæ, qui Flabella carminibus exornatit &c.*
26. *Controverſia inter Pumilionem, & Phylodemum exorta, quia hic propriam Apologiam ante Endimionem in Libello extructo conſutam voluit &c.*
27. *Umbra dicitur, qui venit ad Convivium non vocatus, ſed illius qui vocatus eſt comes &c.*
28. *Phylodemus accedens ad Menſam ſcorteum thoracem defert &c.*
29. *Phylodemus in ſuis Criticis diſtinctionem affert inter ſalivam, & ſputum &c.*
30. *Ad credendam Animæ immortalitatem Phylodemum hortatur &c.*
31. *Phylodemi Teſtamentum &c.*
32. *Morbum Phylodemi fictum fuiſſe detegitur &c.*
33. *Proteſtatio Authoris de abſtinendo in poſterum à Satyris contra Phylodemum &c.*

SATYRA XIJ.

SCurra, Tarentinæ fretus mercede Thiaræ
Me cruciat, colaphiſq; putavit Grammaticorũ
Terrère a Satyris. Cur vexas? eſt mihi durum
Ingenium fateor, craſſum, inſanabile; quale
Banus habet, Labeoq; & Pindarus(1) alter, amatâ
Sarcinulâ notus, pharetræ cui mille miniſtrant,

F Trei-

Treicjique arcus, formidandæque carinæ.
Scribo tamen, quæ Lector amat non publicus, & queis
Non meliora facis, ſi certes, judice Romà.
Hoc mè judicio palpo tantiſper, Achivas
Quamvis non norim, nec quæram noſcere chartas.
Felix, quem magnum, conducendumq; magiſtrum
Kappa facit. Doctæ faveant tibi ſemper Athenæ,
Et ſi Conjugium affectas, (2) è marmore græco
Julia ſuccedat (3) thalamo, quæ craſſa quotannis
Ora linit, pectitque comas, ridendaque vulgo
Induit ovorum pretioſa monilia collo.
Eſt tibi par forma, & quà nemo fiet adulter:
Quaque Lucretiolus, vel certe parvula ſappho,
Putaque naſcetur, grajoque Corinnula cunno.
O ſi terreſtris (4) præſtaret bellua cenſum,
Quem præſtant Thunni, Rhombi, magnęq; Murenę!
Jam dederas capitis pœnas, & nobile cenæ
Principium, indutus trabeas, aut galbanà raſà,
Te Capitolina guſtaſſet lance Triumvir;
Seu potius (5) multas perductus, inutile donum,
Ad menſas, ſanie tandem putrique cruore
Mucidus, in grandi ſartagine fata ſubires,
Atque cucullati reparares ſcandala ventris.
Quid mihi (6) Pindaricos quæris jactare colores,
Prataq; cum rivis, nudaſq; in littore Nimphas?
Non aliter, tenui qui portant abiete capſam
Decipiunt oculos, parvoque foramine Mundum
Pene alium ſpectare jubent. Cernis ne duella,
Commiſſaſque acies, poſitamq; ad flumina turrim?
Cerno equidem;. mirum! ſatis eſt. Quis dicere luſcũ
Se velit? interea quærunt corradere nummos,
Pul-

Pulchraque decepto vendunt mendacia viſu.
  Ingenium Calabri laudo. Subtilius unquam
Nil novi ſtomacho cyrrheo, & ventre poetà.
Artes mille tenes venandi juſcula, nec te
Tongillus vincit, (7) ſciſſique Antulla caniſtri,
Nec qui lactentes maturat pollice ficus.
Dum ſacra procedit (8) per vicos ordine pompa;
Ne pereant, tortis cur non emungere chartis
Cruſtula feſtinas, miſerum valitura triunce,
Si fumum, ſordeſque velis perpendere lance?
Ergo optes, votumque feras, ut flamina duri
Turgeſcant Boreę, vel ſit molliſſima cera
Candelæ, ſpiſſiſque fluant funalia guttis.
  Attamen hoc ſatius, quam cum (9) Teſtacea portat
Mula cadum, ſtimulis, & mille laceſſere vocis
Ut properet, nequeatque pati ſub verbere Solis.
O qui concurſus, quanto clamore beatum
Doliolum celebras, cum tintinnabula pulſat
Inſtitor, & lætam fas eſt intrare tabernam!
Umbricii (10) nec more bibis, ſed frigora Cryptæ
Commemorans, veluti delapſa Ancilia Cœlo
Leniter Albanæ ſorbillas munera vitis,
Sępius (11) & repetis: ſic vina hauribat Homerus,
Hęctora cum magno vellet committere Achilli.
Euge Bion! ſemperq; juvet te gręca bibiſſe
Nomina, (12) & in cyatho nō unum mergere Beta.
Eveniet melius, quam cum nonarius unctas
Terſurus patinas, Procerum triclinia luſtras,
Et media de nocte udum, curtàque lacernà,
Exquilias circum te ſpes cęnatica ducit.
  Scilicet ampullis, phialiſque capacibus auræ
Non bene paſtillos, & dulcia prandia captas.

Adde etiã ructus,(13)colaphos,volucreſq;patellas
Sępius in faciem, & ſannas Domini paraſiti,
Quæ tacito, ut cęnes, rictu glutire juberis.
Certe ego non paterer, tam caro abdomine tendi
Ventriculum. At geſtit Phylodemus,& ebria figit
Lumina, romanę ſuſpenſa nitore culinæ:
Et cupidus luxum miratur, vaſaque Ripæ
Majoris, (14) ſamiamque odit contingere teſtam,
Argentum (15) veluti ſapiat, tenerumq; palatum
Vellicet in nitido melior gallina metallo.
Sed poſito Conſul prandère ſolebat aratro
Fictilibus; cur te pudeat, qui rure paterno
Gaudebas praſinà, rubràque paropſide, quique
Clara adeo vultu retines veſtigia martæ,
Cognatuſque nitet montano ſarculus ore?
Proh furor! argenti ſuſpiras vaſcula puri,
Teque citat ventris ſolo pro pane querela,
Indicitque diem. Vanam ſi paſcere mentem
Expectas, te longa manent jejunia; nam cum
Eſurit ambitio, nullà eſt placabilis eſcà.
Interea ò miſerum! plauſum putat eſſe cachinnos:
Cęditur, & cęnat; tantoque furore laborat,
Ut carum Giaſo ſe prædicet, ungere mentum
Quòd dederit, largoque genas tumuiſſe catino.
Haud ſecus,(16)effodit,qui culta novalia, Grillus
Stridulus, invectus Romam, quas mulceat aures
Invenit, &, quamvis vicinia tota queratur,
Non lactuca deeſt olli, nec ſectile porrum,
Oſcula nec forſan cultæ mundæque puellæ.
Sic etiam (17) ante fores obſcenis Simia buccis
Veſcitur, & nunquam mendicat poma, ſed ultrò
Accipit oblatam feſtivo pollice cęnam:

Non

Non alio titulo, credam, plaudente popello,
Quam quod ridicula eſt. Hac dote timere nequibis
Tu quoque Pauperiem, ſed conducendus in annum
Dimidio (18) Pauli, cupidæ monſtraberis Urbi
Ut geminos (19) catulos una cervice, Draconis
Ova, Lupos, Pardos, Tigridem, Vitulumq; marinũ,
Vidimus, (20) in Phariâ reſidet quà mole columba.
Hæc tamen ut ſileam, ſemper mihi garris in auré,
Me Proculejus amat, Procerum digniſſimus. Eſto.
An dederit quidquam poſco? malè credis amicum
Qui tantum ructare ſolet, vel pedere, quique
Te coram tacitâ mulcet genitalia (21) dextrâ,
Aut ſcaphium properare jubet; veſſica ſodalem
Non facit, electo quamvis fluat æbria muſto;
Nec bene olent auro quamvis ſervata capaci
Stercora Nobiliũ; has petat, atq; habeat ſibi ſurdus
Naſus amicitias; ego non. Veſane, coibunt
Imbelles potius, timidæque leonibus agnæ,
Quam dives miſero; poſtquam recitaveris olli
Dimidium Euripidem, vacuum diſcedere cogit,
Et lingua à tergo inſultat, jugulataque veſtis
Fimbria, laſcivas aures imitatur Aſelli.
Hoc pauper ſperare potes de divite amico,
Monſtrari digito famulorum, & ſæpe vocari
Spongiolâ tunicâ (22) indutam, bibulumq; papyrũ,
Volſellamque pedum, fungumq; ardoribus aptum.
Fex hominum ſervi, genus inſatiabile, quos ſi
Muneribus nequeas palpare, & curta crumena
Sit tibi, vel laſanum Domini coluiſſe vetabunt,
Nec crepitus nudâ venerari fronte licebit.
Undique ferrati vectes, & peſſulus alto
Robore defixus, quem non divellere quiſquam

Arte valet, pedibus ni verberet (23) oſtia ; tunc ſe
Jucundum ad ſonitum, referant, atque ultima pan-
Limina patriciæ mollita munere valvæ. (dunt
Stoice vade foras ; ſubeant muſtacea, crudi
Fomèntum ſtomachi, Oenophorũ, centumq; Cachai
Pondera ; neſcit inops mores, & ferre ſalutem
Compoſito vultu ; melius cariota, (24) nuceſque,
Caſeus, & preſſi bis quinque coagula lactis,
Et textis didicit melius cichorèa caniſtris.
Non eſt, crede mihi, Sapientis limine magnæ
Conſediſſe domus ; nudum, teſtàque latentem
Cernat, & invideat totum qui deſpicit Orbem
Pelleus Juvenis. Sed Romæ fumus, & auri
Fulgor iners, & vile decus tibi dulce videtur,
Tantaque te faſtus cępit, nitidique libido
Curriculi, ut viſis jacias ſuſpiria Rhedis,
Nec raptata (25) uno refugis pilenta caballo,
In quibus aut Medicus, Procuratorve puſillus
Ridiculè incedit, puerum inſultante Lariſca
Aurigam. Atria magna colas quantum libet, & te
Rideat obſtipum poſt nonam Janitor horam ;
Quem tàdem à Domino fructũ extorquere ſuperbo
Servitii dabitur, cum ſit crudelior ipſe
Et catulis pictæ tigridis, fulvâque leænâ ?
Nonne vides Patris quantà Procul ejus acerbum
Sęvitia celebret funus, rigidumque cadaver
Ipſe humeris ſubeat, (26) luſcum laudare paratus,
Quòd nocitura dedit pejora pharmaca clotho ?
Præterea non dum delatas ultima cera
Confirmavit Opes, cum Scrinia tota ſupinat,
Evertitque Domum; rari Peſcennius (27) æris
Carpitur, & nigrum viſura Plotina lupanar
Eurilłę

Eurillæ cedit ; pictis meretricula mitris
Nam ſera ingreditur quamvis de nocte , ſuoque
Siccat Amatori lacrymas , atque oſcula miſcet ;
Et lacheſis damnata colos , crudelia fata
Clamitat , & pullas horret contingere veſtes .
Interea accitò, (28) redolent dum funera, Apellâ,
Ac dum campani murmur lugubre metalli
Hæredis fruſtra ceratas verberat aures ,
Venduntur Patrui vultus , ſimulacraque caſtæ
Conjugis , & tenero pendens ex ubere natus .
Jam biuges , rhedaſque novas , & ſplendida fingit
Eſſeda, (29) jam curſus, & pulchrum cogitat Ohè ;
Quodq; magis doleo, ipſa etiam veneranda Deorũ
Signa, & Pontificum effigies, Sanctique Penates
Urceolos inter , ſellas , fractamque matellam ,
In triviis paſſim proſtant , neglecta ſupellex ;
Hanc canis immundus naſo delibat , & ora
Sæpe rigat lotio , quæ quondam thura bearunt ;
Barbaque adoratæ lanuginis , atque Sabeo
Nigra olim fumo , fętenti turpis odore ,
Cernitur illecebras , venereſque ciere caninas .
Hi mores Procerum crudeles : Barbarus Afro
Littore quos horret, quos nunquam Sarmata poto
Paſtus equo coleret . Tu nomine captus inani ,
Non ſpectas animos , ſed corpora; ſi Coma odoro
Pulvere criſpatur : (30) loro ſi dextra reducto ,
Impingit vacuo crepitantia verbera Cœlo ,
Protinus eſt tibi Męcenas, Fratremque,Patremque
Appellas . Operam perdis, Phylodeme, bilibres
Cum teſtes habeas, non eſt quòd, ſtulte, labores
Ut primus teneas limen, poſtremus ab Aula
Diſcedas; (31) glabros juvenes, & ab inguine leves.
 Gratia

Gratia fortunat Domini, pinguiſque ſequetur
Sportula, barbatum nunquam viſura clientem.
Ille tuus ſupplex, quem corroſere, Libellus,
Jejuni mures, cui quinquennalis adheret
Pulvis, & extinctæ fumen, funguſque lucernæ,
Nonne tibi clamat; fruſtra, Phylodeme, Lucreti
Apponis crambe? quæ fulget Menſa tapete,
Et ſuper inducto corio, (32) non mentis Achivæ
Somnia, ſed rhombos, perdicem, atq; oſtrea poſcit:
Deſipiuntque gulæ commenta canora, nocentque
Nobilium ſtomacho pluſquam Vindemia Sarda.
Eſte procul nugæ. Turdus præfertur Homero:
Craſſaque plus ſapiunt miſero tuceta Platone,
Nec cum ſorbilibus ſe comparet Æſchilus ovis.
Fac tamen ut placeant greço de fonte liquores
Ranciduli, frictumque melos: quis ferre, rogatus,
Te poterit, Majo quantumvis menſe, canentem?
Carmina dum rauco(33)baubaris gutture, feles
Decepti, vocis ſaltant clamore fragoſæ,
Gannituque crebro plaudunt, & verbere caudæ.
Miraris? lumbos credunt te vendere equorum,
Undas qui ſubeunt Tybridis,(34)Portũq; Leonis.
Hæc fęda officio facies, artique repugnat,
Quò minus hoc credant alii quoq; deſine, demens,
Fronti infelices Laurus aptare corallas;
Et ſi te viridis delectat gratia rami,
Sunt,(35)baculo affixas hederas, foliũmq; pudendũ
Qui vendant, tenuique potes ſplendeſcere ſumptu;
Sed veſania tuæ nequeunt cautheria mentis
Exili ſub fronde tegi, majoraque poſcunt;
Te potius pinguis non ſuta(36)crumena macelli
Circumdet, creſcatque, novis innixa columnis

Janua

Janua, ne tumidis minuas laquearia criſtis.
Quamquam nec facies thuſcis (37) ſpondenda ſigillis,
Nec guttur Calabrum, vetulum nec fecit jocta,
Te coram, ut ſubito volucris cortina (38) ſonaret
Obductura fores Domini; fortaſſe modeſtus,
Et dignus Phylodemus eras, cui tota paterent
Limina, pannoſi ſi tantum more Poetæ,
Veſſicam inflares, orbi laudator Homeri;
At ſecreta domus ſcrutari, unctamque culinam
Olfacere, ancillas digito mordere ſalaci,
Atque (39) capillatum nimium laudare jugales
Qui preit, & ſoleis currit formoſior albis:
Hæc te deturpant, chariſque penatibus arcent.
Præcipue, ante annos, matri ſuſpecta videtur
Barba Lagi, (40) ſubitique pili tonſoris egentes,
Accuſatque manum, quæ ſemina mellis acutæ
Spargere non verita eſt, claramq; extinguere vocē;
Et merito; puerùm namque es ſtudioſus, & illa
Sola tibi arridet, quæ fulget ſponſa galero,
Expers Lucinæ, digito pulcherrima nudo,
Cui Vellejanus neſcit ſuccurrere. Sed quod
Indiget officio Prætoris, ſordida linguæ
Monſtra tuæ fuerint. Dum virgo nubilis adſtat,
Forte (41) & candidulū geſtat ſub mente Cucullū,
Nil dubitas pleno ructare obſcæna palato
Nomina, quæ rigidas faciant prurire Sabinas,
Si lanam fuſo torquerent; teque docente,
Diſcit adhuc trimus, quæ ſint diſcrimina ſexus.
Lentulus: & Lullus quoties iraſcitur infans,
Non mammam, atque tatam appellat, ſed poplite
Nutricē, & tenero balbutit (42) gutture penē. (cędit

Cre-

Creſce puer, Calabro ſub Præceptore, Suburræ
Grande incremenꝫum poſt hac, columenq; futurũ!
Quid ne putas Lullum, cum cęperit eſſe Catullus,
Dicturum coram Patribus, Rubroque Senatu,
Publica res quamvis, vel ſeria juris agatur?
Mentula ter decies reſonabit in ore, priuſquam
Reſpirare queat, fędoque vocabula odore
Veſtiet, atque omnis turgebit ſyllaba verpâ,
Illa decus ſermonis erit, roburque loquendi;
Forſan, & ante atas, ſi unquam curvabitur, ipſi
Optabunt ſuperi cetas Itacenſis Ulyſſis,
Et renuent (43) audire preces, quas ille pudendo
Nomine miſcebit, quoties ferventius oret.
Adde locis Rethor genitalia, maxima pars eſt
Sermonis thuſci, quam non audire puellas
Fas ſit, nec tabulis liceat pinxiſſe Marattę,
Et canibus (44) vetitum ferre ad ſacraria Veſtę.
Dedecus o ingens! quondam, Romane, ſolebas
Dicere me caſtor me hercle; at mentula nunquam
Audita eſt, nigris quamvis de fornice buccis;
Nec tunc, cum caderet vultu Catilina minaci,
Conſulis Arpini gladio diſtrictus, habetur
Talia dixiſſe; & prò libertate tuendâ,
Cum Brutus jugulum laceraret Cæſaris, ille,
Tu quoque mi fili, non inguen dixit, & hirtos
Teſticulos; noſtræ ſervata eſt ſordida linguę
Gratia verboſè fellandi. Prolue mores,
Roma, tuos; pudeat mæcho proferre palato
Quod refugit natura parens, pudibundaque juſſit
Velari, poſtquam primi tetigere parentes
Arboris infauſtæ fructus, vetitumque Autumnum.
Cerne, (45) Quirinali ſpirant qui monte Coloſſi,
Auda-

Audacique manu cogunt ad frena jugales,
Abſcondunt populo præputia, Dędala quamvis
Dextera Praxitelis nudos formaverit; ergo
Major erit ſenſus, truncisque modeſtia ſaxis,
Quam tibi? Non ſcuticæ, ſævis nec parcitę flagris
Cenſores morum, cum labro verpa dicaci
Pullulat, & crebro ſtupratur ſermo veretro.
Scilicet, hac fœdâ nutrita Infantia pappâ
Obſcænâque buâ, (46) creſcit non utilis armis,
Non matura togæ; ſed turpia luſtra luparum
Occidunt noſtros blandâ feritate Camillos,
Et Fabios; Cremera eſt fornix, Cannæque lupanar,
Ulceraque, (47) & ſtrume, maceratæque puſtula lanis,
Sunt hodie arma, quibus pænus baccatur Amilcar.
Macte animo Trojæ ſanguis, magnique propago
Aſſaraci: in galeis victum potabis Orontem,
Biſtoniaſque nives: ſequitur Victoria faſces.
At ſilet, & medicis tantum reſupina caminis,
Marcet, (48) & Idaliam ſudat depellere tabem
Pſalmate ſulphureo, ſiccæ non amplius uvæ
Septem acinis ſolata famem, & pallentibus herbis.
Hoc tua poſteritas exercet, Romule, circo
Magnanimas vires, hoc eſt ceroma, peruncti
Quo ludunt, pugnantque tui, Gradive, nepotes.
Quid non improbius fert Ætas? perdita luxu
Faſtos (49) Roma dies, tranſalpinoſque triumphos
Signat (50) adulteriis. Vos, ubera publica teſtes,
Quantum Flaminiæ peccent impunè feneſtræ,
Pulpitaque, & nuribus tigna exoptata Latinis,
Cum carioſus (51) Equus ſtabulo deducitur, & cum
Eſtuat auratâ Regalis pixide Cenſus;

Nam-

Namq;novem poſtquam reparavit cornua Phębe,
Lactentum (52) numerus creſcit,ſtridentq; puellæ
Sub dio ante fores, ſi forte puerpera grandem
Edidit infantem, pluſquam menſura jubebat,
Nec capiunt duri majuſcula corpora clathri.
Præſtat nimirum, Phylodemę, arcere juventam
Turpibus auditu; ſpurcant demiſſa per aures
Verba animum, & maculas nullâ fullonis avari
Ante lavas; cui nam poterit redolere phalernum,
Cum ſemel illierit fex Surrentina diotam?
Creſcit enim vitium, vireſque acquirit eundo,
Et, ſemel ammiſſo natura infirma pudore,
Claudicat in pręceps. Gratias i, perge Camęnas,
Atque docere modos, quibus inſanabilis hęret
Urtica. Argolicus non eſt, mihi crede, libellus,
Qui non concubitus Divum, Nymphaſque ſalaces
Exprimat ante oculos, tenereque incendia menti
Suſcitet; expectas ut Lullus vitet honeſta,
Quęque facis permiſſa, Diis authoribus? Ante
Lumina projiciet, quam ſe divellat ab udo
Pellicis amplexu; non eſt tibi credere tutum
Creſcentes annos: Procul hinc pueri, o procul eſte
Virgineę, cęli non ultima portio, mentes.
Illius occurſum timeo minus, aurea pendet (ro;
Cui bulla, (53) & ſcripto Princeps ſcintillat in au-
Nec pede tam celeri famulos (54) vitare memento,
Cum bini incedunt Auguſto tempore, vel cum
Incipit horridulos conſpargere bruma Decembres;
Quam fugiendus homo eſt, qui puro è pectore ho-
neſtum
Radere, & ingenuos audet corrumpere mores.
Cur ſi forte (55) cavum video lucere papyrum,

Non

Non procul à Rhedâ, compreſsâ nare, fodinas
Stercoris effugio, & nocturnos Pharmacopolas:
Te fugiſſe vetor, qui circumducis hiantem
Cordis latrinam, & tetro jacularis odore
Excrementa animi, ſordeſque in pectore natas?
Jam poſt hac mihi ſẽper erunt aut vaſcula mirrhę,
Aut, quos deponit nabatheo bellua ſaltu,
Teſticuli, offenſi pretioſa piacula naſi.

NOTAE.

1. Pindarus alter. *Poeta quidam deformis, & gibboſus qui glorioſus in ſuis Cantilenis jactare ſolet ſe habere paratas centum pharetras, & centum naves &c.*

2. *Rumor in Urbe percrebuerat Phylodemum uxorem ducere.*

3. *Statua antiqua Iuliæ apud ædes Sancti Marci, quæ vulgo dicitur* Lucretia *ac etiam* Marforia *quolibet anno ridiculosè ornatur.*

4. *Lege ſancitum eſt ut capita Piſcium certi ponderis Conſervatoribus Capitolii Romani debeantur. Triumvirum appellat, quia Magiſtratus Conſervatorum hoc numero conſtat.*

5. *Hæc capita Piſcium à Conſervatoribus donantur amicis, ac Patronis; ſepiuſque accidit ut idem donum ad domos quamplurimas circumvectum, cum fœtere incipiat in aliquod Cœnobium conferatur.*

6. *Mos Phylodemi jactandi præſtantiam Pindari, qui Nymphas, Prata, & Rivos ad vivum exprimit, comparatur ab Authore quadru-*

druplatoribus illis, qui oſtendunt vulgo il Mondo nuovo.

7. *Tongillus, & Antulla, homunciones è plebe, qui Romæ vendunt nuces.*

8. *Pannoſum vulgus & vile ſolet in ſacris Proceſſionibus, ſuppoſitâ chartâ, ceram è candelis fluentem excipere.*

9. *Mons Teſtaceus, locus in Urbe notus, ubi cryptæ vinariæ frigidiſſimæ. Hinc ſolent æſtivo tempore cadi celeri curſu in tabernas aſportari, ac pulſante caupone tintinnabulum coeunt bibones.*

10. *Solitus Phylodemus ad portam Septinianam cauponari cum ſociis.*

11. *Notat Phylodemum, qui etiam bibendo græcizzandi vitium oſtendit.*

12. Bibere nomina, *uſitatum apud antiquos, & noſtros; nam ſæpe in conviviis tot cyathos haurimus, honoris vel benevolentiæ gratia, quot ſyllabis clauditur amici, vel Patroni nomen.*

13. Patellas in faciem *reſpondet uſitato noſtro ſermoni*, dare un piatto nel moſtaccio.

14. *Fictilia ad ripam majorem in regione Tranſtyberina conficiuntur, ubi Figulorum ſtatio.*

15. *Indicat morem Procerum edendi in lancibus argenteis.*

16. *Grillus Animal notum, miri tædii, Romæ in deliciis habetur & ad mulcendum ſomnum delicatuli quidam illum alere ſolent.*

17. *Simiæ ante fores Palatiorum detinentur, & curioſam Plebem alliciunt.*

18. *Di-*

18. *Dimidium Pauli monetæ genus, vulgo* Groſſo.
19. *Solent Romæ oſtendi Monſtra, quæ ſæpius conficta ſunt; & ideo Author dicit ſe vidiſſe Ova Draconis.*
20. *Forum indicat Agonale, ex Columba Ænea, quæ Pyramidi inſidet.*
21. *Mulcere Genitalia indecens, & dictum relativè ad Proverbium Italicum,* Rifare il letto à i Co.....
22. *Petulantiſſimi famuli hiſce dicteriis ſolent afficere homines egenos, qui ſæpiuſcule Aulam Dominorum frequentant.*
23. *Tritum Adagium* batter la porta co'piedi, *de illis dictum, qui ferunt munuſcula; manibus enim occupati oſtium pedibus pulſant.*
24. *Pauperibus præferuntur etiam viliora munera.*
25. *Currus vulgo* Timoncella, *quò per Urbem feruntur Medici, & Procuratores infimæ notæ.*
26. Luſcum, *innuit forſan Medicum notum in Urbe hoc vitio laborantem.*
27. *Peſcennius, & Plotina numiſmata, ob raritatem maximæ æſtimationis.*
28. *Solent Romani elato Patrefamilias Iudeos convocare, qui ante ipſam Defuncti domum ſupellectilem venùm exponunt.*
29. Ohe, *hac voce utuntur juvenes, cum, citiſſimo curſu pervecti, Turbam cavere ſolent.*
30. *Genium taxat Iuventutis, quæ exercetur quatiendo flagellum ad excitamentum equorum.*

31. *Mor-*

31. *Mordet Seculi vitium, quod Muſicis impenſius favere ſolet.*

32. *Menſa Nobilium tegi ſolet tapetibus ſuper quibus extenduntur etiam coria ad arcendas epularum maculas.*

33. *Qui vendunt Romæ omenta equorum ſolent emittere vocem ipsâ raucedine felibus notam.*

34. *Leonis portus, locus in Urbe ad Ripam Tyberis unde dejiciuntur in flumen mortuæ beſtiæ.*

35. *Folia hederę ad purganda cautheria venduntur baculo affixa.*

36. *Laniones, ac Salſamentarii prò crumena uti ſolent cornu bubalino, ideo Author vocat* non ſutam.

37. *Facies thuſcis ſpondenda ſigillis.* Faccia d'impiccato, allude alla Compagnia de' Fiorentini, che aſſiſte a' condannati.

38. Cortina *vulgo* Portiera *ante faciem Clientum tendi ſolet ab Ianitore, ut eos arceat a Domini colloquiis.*

39. *Notat pueros vulgo* Lacchè.

40. *Pueri corrupti barbam citius emittunt; eademque etiam causâ rauci evadunt.*

41. *Et fortè cogitat ingredi Monialium clauſtra.*

42. *Puer Lullus auditâ Phylodemi obſcenitate, diſcit proferre pudendum nomen* Ca ...

43. *Reſpondet Italico proverbio,* meſcolar il Ca... co i pater noſter.

44. *Canes maſculi ad Virginum Monaſteria ingredi prohibentur.*

45. *Sta-*

45. *Statuæ in Area Palatii Quirinalis pudendis coopertis.*

46. Pappa, e Bua, *cibus, ac potus infantium.*

47. *Deſcribit gallicam luem, & ſignanter ulcera vulgo* Tinconi.

48. *Sudatorium, vulgo* Stufa ſecca.

49. *Solemnes Equitatus Romæ quotannis fieri ſoliti.*

50. Ubera prima, *Nutrices quæ in Zenodochio Sancti Spiritus de Urbe expoſitos infantes alunt.*

51. Chinea.

52. *Feneſtra Zenodochii prædicti vallata eſt ferreis cancellis, ut excipiat pueros tantum recenter natos.*

53. *Lictorum Præfectus, ut vocant,* Baſigellus.

54. *Famuli, qui bini incedunt kalendis Auguſti, & menſe Decembri vitandi; qui ſtrenam importunius exigere ſolent.*

55. *Homines ſtercorarii, vulgo* Speziali della notte, *ſolent noctu incedere cum rheda, & laterna chartacea, ut facilius a prætereuntibus vitetur malus odor.*

SATYRA XIII.

HÆc quoq; de puto creſcet membrana Bione,
Si pateris Labeo, nec manco deſpicis ore
Carmina, (1) pelamides nunquam viſura togatas.
Tuque etiam faveas udo qui (2) Regna lapillo
Ludicra diſpenſas, & circum compita totam

Arcadiam digito jactas, Naſica, ſuperbo,
Armenti cuſtos, (3) & cunni ſcriba canori.
Et te verſiculis pronum, facilemque precabor
Bellule Pumilio; ſic ad tua gaudia ſemper
Pons tibi (4) biſgeminę pateat cervicis, & ipſa
Albula gibboſo non indignetur Amanti.
Hùc vellem quotquot fatuę prurigine laudis
Correpti, plectro ſcabitis, (5) veſtroſque fricatis
Teſticulos: docti tantum protendere pelles,
Hircinoſque utres, quos propter Tybridis undas
Aluus agat, gravidos oleâ, baccâque Sabina.
Sed quoniam Calabrę tumet inſanabile mentis
Ulcus, & indomiti ſcabies furioſa cerebri
Mulceri propius, cyrrheaque pharmaca poſcit,
Durate, & folles paulum expectate minores.
Me vocat Evandri quà Regia diruta ſedes
Vimineas prębere ſolet Paſtoribus; atque
Humida ſuſpectos producunt pulpita ficos,
Quos ſecat Hyppolitus (6) ridens, multumq; joca- [tus
Naturam morbi; roſeum, Phylodeme, labellum,
Quod tibi dimidio cluſere ſilentia luſtro,
Tandē aperis, bibulaſq; imples concentibus aurеs.
Quę facies, Superi! quę carmina! ſaxa
Jacta minus frontem lędunt, voluſcreſque lapilli,
Dum Romana furit (7) tortis plebecula fundis,
Et levis oppoſità declinat vulnera veſte.
Saturnalicio potius dicteria plauſtro
Audirem, quoties fictus caſtratur Apella,
Mendacique fluit veſſica hędina cruore,
Quam patiar Calabrum recitantem. Garrula ramis
Pipilat hinc Paſſer, Motacilla, Acalanthis, & inde
Laſcivum vibrat volucris criſtata galerum,

Ridi-

Ridiculos agitat dum Grȩcula noctua geſtus.
At vos o Platani cuſtodes fontis, & umbrȩ,
Corticis annoſi libro, validiſque lacertis
Fas erat ulciſci plagoſȩ tedia linguȩ,
Dum nos obſcȩni torqueret calculus oris,
Duraque (9) guttatim mejebat verba palato:
Ne quid concentus, ne ſyllaba forte periret,
Aut minor electas laudaret gratia muſas. (utraq;
Sed Chronus (10) ille tuus charta celebrandus
Quò rapis attonitum Barrhum, menteſq; puſillas,
Ut me flexanima ſparſit dulcedine! Achivo
Hoc de fonte reor nomen, lymphâque piatum
Aoniâ, nobis qua non tinxiſſe prophana
Ora licet. Valeat Chronus,& tua ſemper honeſtet
Carmina; ſed nollem toties audire moleſtum,
Putidulumq;Chronum;veniã dabis,o Phylodeme,
Quippe meos turbant ignota vocabula ſenſus,
Illa licet (11) Labeo miretur, & Attica labro
Mella tuo (12) manare putet,Muſaſque locutas
Stridulus Aſcreis juret Naſica Cinȩdis.
Sed quis tam ſtupidus, craſſoque ſub aere natus
Beotum, immerita tulerit te laude ſuperbum,
Et proprios (13) largo ructantem gutture plauſus?
Non ne tibi famȩ tantum Sectanus in Aula
Comparat, ut leges valeas contemnere fati,
Et circumducto terras luſtrare papyro?
Quò ſitis hȩc ciathi, pleno cum flumine poſſis
Mergere pulmonem ȩgrotum, totoque natare
Corpore, (14) ſi libeat; ſed nobis Pana negatum
Noſcere, qui cauſas, abſtruſaque ſemina rerum
Inſerit, & ſolito fȩcundat *Lumine* Rullos.
Ergo age mi pulcher, dulciſque Ialiſio, faſtos

Scribe tuos: noſtras unà tamen ire Camęnas
Permitte; hac patiar te conditione furentem.
Irrita ſed fragili torquemus ſpicula nervo;
Præduri vultus, & cornea fibra Bionis
Eludunt ictus, vixque hęret pelle ſagitta.
Marmoreus (15) puras qui miſcet Bajulus undas
Flaminia in longa, tener eſt, docilisque: tuoque
Paſquillus (16) generi nollet cognatus haberi;
Paſquillus, dorſo qui ſcommata publica portat
Trans alpes, Batavoſque, & pigri Regna Bootes:
Unus flagitii vindex, tacitumque flagellum,
Quem propter nitidi timeant peccare Quirites.
Jurarem ſtygio totum te flumine tinctum,
Præcipueque caput. Qui ſcindunt ligna ſecuri
Ante domos, (17) devota focis, uncta que culinæ,
Obtundi ferrum calabrâ cervice timerent;
Nam tua (18) fraxineam vincit conſtantia frontē,
Quam Tonſtrina comis, Sennęq; laboribus ornat,
Atque immota ſedet tereti ſuffulta tigillo;
Pluſq; pudoris (19) habet minio, quę culta recenti
Purpurat, & votis non reſponſura procorum,
Ulmea venales exponit fœmina criſtas.
Neſcio quà pueris veſtrę præcordia matres
Argilla fingant; humano ſemine nunquam
Crediderim conſtare jecur, crudaſque medullas,
Quæ Romæ ſannas, & larga opprobria potant.
Mille alii calamum irritant, ſcuticamq; laceſſunt;
Sed tamen admiſsâ diſcunt palleſcere culpâ,
Aut taciti peccant, minuitque modeſtia crimen.
Te coram inſanire juvat, ſeptemque probari
Teſtibus; hinc noſtri creſcent ſine fine libelli,
Inque uno invitus conſumam tela Bione.

Quan-

Quanta putas animo moveat faſtidia Burrus
Sedulus (20)olfactor tonſorum,& ſcurra Taberne,
Quà clamoſa ſolet calidam potare juventus?
Sive forum tranſire juvat, ſeu Templa ſubire,
Sive Palatinos properas viſurus amicos,
Ecce tibi Burrus. Salve o mi Burre; faceſſant
Verba; Petum noſcis? recte novi. Illius ædes
Tongillum ſpoliaſſe ferunt; quid tum? mea ſaltem
Sit ſalva. Ermopilam(nulli veh dixeris) altum
Dum ſtertit conjux, eductam limine calvus
Compreſſit, tenuitque diu ſua gaudia; proſit
Ermopilæ; nobis non eſt, nec nata, nec uxor.
Deperit Eunuchum Quintilla; ohe! vale Burre:
Me manet Ulpidius, centumque negotia Martis
Ad campum invitum revocant; iterū vale Burre.
Quis ferat hunc queſo? recitat ſecreta domorum
Omnia: ſed cautus deponit in aure, ſubinde
Deſpuit, & ſcabri palpat tubercula naſi.

At quis tam patiens,ut terque quaterque Priapū,
Et genus (21) hircorum fluxaque è pellice natum
Non dicat, torto quoties per compita collo,
Effrons, (22) ſollicitus, querulus Rufinus oberrat,
Et tabulas ſignans celeres facit ire Kalendas,
Menſtruus ut ſancta juguletur pixide nummus?
Ah pereat famoſa lues, & hirudo crumenæ,
Atra teredo auri, quò non præſtantior alter
Decipere excordes fatuâ pietate Quirites.
Ille quidem Euganeæ depictos pellibus agnæ
Celicolum vultus donat, docilique labello
Loyolam triviſſe jubet; ſed decipit eſca
Incautos piſces: nam ſi jejuna Phylippos (tes,
Pellicula,(23)ingentes nec habent marſupia fron-

Rufinus latet æternùm,longeque recedit
Utilis hęc pietas, poſitique in fęnore Divi.
Illi etiam nequeo niſi criſpo occurrere naſo,
Qui ſemper (24) cauſas, ſemper civilia jura
Digerit, & ſpiſſas pleno vomit ore Rubricas.
Has ciet impranſus,pranſuſque;has nocte volutat,
Has mane, & ſumpta dictat reſponſa matella.
Mox petit Ædilem, Scribarum pulpita vexat,
Implet & immani totum clamore Tribunal;
Egreſſuſque foro, ſi forte coibit amicæ,
Fac ſubeat (25) *Romana Domus, Sutrinaque dotis.*
Præfertur cunno Baldus, ſiccuſque relinquit
Penis opus; valeat Baldus, centumque minores
Pragmatici, mihi non conſtabit Curia tanti.
Plus ſapiunt teneræ rorantia labra puellæ,
Quam tuus ille niger, roſique Accurſius oris,
Et quidquid toto ſancitur corpore juris.
His tamen iraſci nequeo, nam vulnera mentis
Diſſimulant ſaltem fuco, dubioque colore
Virtùtis; nemo malus eſt, qui rectus haberi
Non cupiat, fierique bonus; ſed Gręculus audax
Peccat, & in vitio famam titulumque pudendi
Collocat; Hęc utinam ſcribendi fingeret ardor,
Teque Bion temerè Sectana feriret arundo!
Sed clamat Lictor, clamant Prætoria, quæ te
Nocturnum, tacitumque vident effundere virus,
Et famæ pretium furtivos carpere nummos.
Gaude io! ſuſpecta domus cuſtode tenetur
Armato, (26) & dirus prenſat ſecreta ſatelles.
Jam rapitur pluteus, referantur ſcrinia, chartam
Ecce ream infandi ſceleris, mæchaſque puellas
Hetruſci laticis. Nudentur colla, ſinuſque
Pube

Pube tenus, paloque manus poſt terga revinctæ
Debita Romani ſubeant ludibria vulgi.
Heu miſer! incaſſum cecidit Phylodeme ſagitta;
Quin tota inſontes regnabunt Urbe libelli
Induti tunica maculoſa, & pumice glabri;
Ridiculoque Roſæ ſignabis nomine muſas,
Et titulum primo facies, pretiumque papyro.
Deſine græcari, turpique ciere ſodales
Judicio, nulla fides, aut rara, Poetæ
A Prætore datur; mentiri diſcitis arte
Vos etenim, ſemperque ſonat contermina labro
Fabula, prudenti nihili facienda Tribuno.
Deme tuum (28)tabulis nomen,quibus ipſe locaſti
Perfrictam vocem, & tenues de nocte ſuſurros.
Cum nemus Arcadiæ, cunctique in cortice laurus,
Ipſaque te Cyrrhæ Phylodemum nuncupat unda,
Neſcio cur quæras, dicique Georgius (29) optes,
Cautaque dimidium circumdet penula naſum.
Hæ ſapiunt latebræ culpam, nam ſydera teſtes
Mens bona non refugit, nudoque perambulat ore.
Quam ſatius fuerat, quoniam tibi larga dederunt
Dj bona, matronas tota ſectarier Urbe,
Fronte exporrecta, nulloque à crimine curva;
Nam licet effigiem, (30) muro quæ pingitur albo
Indiderit natura tibi, poſſiſque videri
Muccoſis oculis, ſparſiſque cruore coturnix,
Fœmina deterius ſemper complectitur; hoc te
Judicio præferre potes cuicumque cathedræ,
Famoſiſque procis concurrere; te tamen una
Cęſaries impexa pilis, barbaque caprina
Putoris ſedes, ubi vallum, & caſtra refigunt,
Hybernantque pedes mille, & porrigine vivunt,

Deturpat paulum; quod ſi deponere cures
Aſcitos, vilique emptos mercede capillos,
Terrebit pueros (31) calvaria, fędaque valvas
Templorum, & grandes liniet terrore columnas,
Pręclarum funus quoties ebullit, & atra
Machina candelis Libitinam mitigat albis.
Ergo comā coluiſſe(32) juvet;ſed in aure feneſtras,
Quas, ut mollis Arabs, aut Phębo decolor Indus
Ferre ſoles, geminus petaſo circumdet, & ora,
Collaque ter decies lardo tibi verberet uncto;
Ecquis enim miſeros velit infamare pyropos,
Atque aurum, vafro timeas cum prodere longas
Tonſori auriculas, Regemque oſtendere avarum?
Præterea fas eſt ut carę oblitus Aquai
Terraique tuæ, (33) diſcas meliora procari
Sermone, & Thuſcis ſalibus coluiſſe Maritas.
Nulla venus Kappę, nullus lepor hæret jotæ,
Totaque Romanam non flectet Achaja vulvam.
Me miſeret, Phylodeme, tui cum gręca propinas
Oſcula, Matronis non intellecta Latinis.
At ſaltem tenero cum delectaris Ephebo,
Non tibi tota perit grajæ petulantia linguæ:
Namque nates gaudent palpari vocibus illis,
Plena quibus reſonat Divini menſa Platonis.
Doctior eſt poſtica Venus: peniſque togatus,
Si ſapiat, minimo pariet tibi gaudia ſoldo.
Sed tibi cum dubiæ fulget lanuginis umbra,
Stare loco neſcis, magnoque tumore lacerna
Palpitat, & crebros laſciva reciprocat ictus.
Hinc eſt quod nigro prohiberis Rhetore limen
Viſere, ubi centum referunt dictata, procaci
Ore, capillati. Magna eſt jactura. Repelle

Ro-

Digitized by Google

Romanam, Phylodeme, togam, ſumptâque ſariſſa,
Alta Quirinalis cuſtodi limina Portæ.
Crede, pudicitiam melius tutantur, habentque
Helvetiæ loculos,(34)queis cōdunt turpia,braccę.
Zelotypo poteris tunc interdicta magiſtro
Tranſtra ſequi, & molles grecè laudare Cinædos:
Tergeminus quoties(35)tetro latrabit ab Orco
Cerberus, aut Cęli veniet de parte ſerenâ
Relligio, & ſparſa ridebit janua myrto.
Hac patiar te veſte domos, & longa ſubire
Atria,(36)Regnantis monumenta Auguſta Thiarę.
Nempe ubi lanifico pubes mendica labore
Fingitur, & tenero deducit pollice fila.
Nam ſi forte tua fervebit mente libido,
Dum calathos ſpectas, & mollia vellera tangis,
Diſcolor enormem celabit penula nervum,
Braccatoque minus ſingultiet inguine vena.

N o t æ.

1. *Salſamenti genus viliſſimi, vulgo* Sarache.
2. *Litteræ Patentes à Cuſtode Arcadiæ expediri ſolitæ, ac impreſſione lapidis anularis muniri, quibus novi Paſtores infeudantur.*
3. *Puto hoc dictum, quia idem Cuſtos Arcadiæ Illuſtrium Poetriarum nomina in quodam Libro aureo diligentiſſimè recenſuit.*
4. *Fons ad Inſulam Tybridis, vulgo* Ponte à quattro capi, *ita nuncupatus à quodam ſigno marmoreo.*
5. *Societas quædam ſe mutuo adulantium vulgo,* la Congregatione de gratta co......

6. *Peri-*

6. *Peritus præ cæteris in medendo Apoſtemata in obſcænis.*

7. *Conſuetudo Romanæ Plebis ſe mutuo exercendi ſaxorum prælio.*

8. *Bacchanalium tempore ſolent noctu in plateas adduci quædam Plauſtra bobus raptata, è quibus Nebulones inſulſiſſimi ridicula quæque repreſentant (præcipuè in* Judeos*) commenta.*

9. *Exprimit ad unguem frigidam, ac lentam Phylodemi recitationem.*

10. *Hoc nomine ubique utitur Phylodemus ad captandam admirationem.*

11. *Labeo prædicare maximè ſolet Philodemi eloquentiam, dicendo, ipſum Atticè purè loqui.*

12. *Aliud Philodemi Encomium à Naſica tributum nempè, non aliter loqui Muſas.*

13. *Vitium commune noſtris Poetaſtris inſulſiſſimis.*

14. *In hoc nomine* Pana *arcana Sapientiæ, ac totum contineri Philoſophiam autumat Phylodemus.*

15. *Statua marmorea aquam perenniter miniſtrans in via vulgo,* il Corſo.

16. *Notum nomen, ejuſque vis, & ſecuritas dicendi notiſſima.*

17. *Pauperes ruſtici vulgo,* Stecca legna, *qui Romę hac arte victum quæritant.*

18. *Apud Tonſorum tabernas capita quædam lignea exponuntur, ſuper quibus collaria, capilli, atque alia vanitatis inſignia imponuntur, ut prætereuntes magis ad emendum alliciant.*

19. *Idem*

19. *Idem fieri ſolitum à Fœminis, quæ muliebrem Mundum venum exponunt.*

20. *Homo quidam ut colligere eſt ſatis ineptus, totuſque in colligendo, & effutiendo quidquid novi in Urbe contingit.*

21. *Obſcæna dicteria ſolita ab Italis in quemquam proiici.*

22. *Commentario non indiget, cum omnibus, mihique præ cæteris non modico impendio innoteſcat.*

23. *Puto intelligere de monetis vulgo,* Teſtoni, *in his enim Pontificum calvæ frontes cuduntur, ideoque* Teſtoni *nuncupantur.*

24. *Putidulus quidam Legiſta in Urbe notus.*

25. *Tituli Cauſarum in Romana Curia ſic exprimuntur.*

26. *Ponit ob oculos Fiſci perquiſitionem, in quadam domo, ubi delatum fuerat Satyras Salvatoris Roſæ venum proſtare.*

27. *Quia nempe hujuſmodi Satyræ Sectano dicatæ carius uenduntur propter Phylodemi ridiculam mentionem.*

28. *Tabulæ vulgo,* Specchietto, *in quibus referuntur nomina Delatorum, & ſingulis menſibus merces unicuique perſolvitur.*

29. *Delatores in Urbe dicuntur vulgo,* Giorgi, *cauſam quare &c.*

30 *In albo muro virilia membra carbone pinguntur.*

31. *In funere Nobilium parietes Eccleſiæ atris imaginibus fœdantur.*

32. *Puto Phylodemo aures acu perforatas, ut forſan capi-*

capitis fluxus avertatur.

33. *Græcæ Diphtongi.*

34. *Braccæ Helvetorum Pontificiæ Cuſtodiæ habere ſolent quoſdam loculos vulgo,* Brachetta, *ad commoditatem genitalium, ut puto, concinnatos.*

35. *Frigida, & conſueta Scholarum in Poeticis commenta; ſemper enim repreſentant Plutonis cum Teſiphone conciliabulum; mox Religio è Cœlo dilapſa fabulam ſolvit.*

36. *Hoſpitium S. Michaelis, munificentia Innocentii Duodecimi extructum, & optimis Artibus Reipublicæ incremento formatum.*

SATYRA XIV.

Roma domus fiet, ſed quæ migrare Quirites
Non cogit Vejos. Ingenti Curia tecto
Naſcitur, & centum latè ſpectanda feneſtris;
Informes ſenio, lucrique cupidine leges
Excipit alta ſinu, ſordeſque abſtergere frontis
Imperioſa jubet. Captivæ roſtra Carinæ,
Actiaci monumenta freti, nec poſtibus altis
Ænea ter victi pendent ſimulacra Tyranni.
Sed titulis magnas imples melioribus ædes
Sancte Pater, communis Amor, noſtriq; cadentis
Votum Ævi. O utinam longos manſura per annos
Tegula ſollicitos defendat ab imbre Clientes,
Conſervetque tuo de nomine Curia nomen?
Ite procul ſocii rixarum, atque aure minores
Cauſ-

Cauſidici, (1) Juris probrum, gentiſque togatæ;
Quos Capitolinæ gaudent garrire Cathedræ,
Et Fora dimidiis tantum luſtrata lacernis.
Tuque Bion ſecede domo, qui caſſus utrâque
Auriculâ, longæva fricas monumenta virorum,
Hiſtoriamque tuo (2) formoſam nomine turpas.
Sanctius hic puteal præſenti Principe Legum
Archetypo. Nitet hic deterſo pulvere Codex
Publicus,(3)& feſſis Chyrographa pendula filis
Reſpirant meliorem animam. Scutulatus ubique
Intranti paries blanditur, & Acta recenſet
Scriba lacernatus, (4) gemino cui ſerica limbo
Faſcia deſcendit tergo, taloſque flagellat.
His tamen abſtineo,quamvis plena omnia grandi
Numine, & immenſo tendat ſe machina tigno,
Arcubus invidiæ, Latiique futura Columnis.
Illud præcipuè miramur, ſplendida facta
Vincere te factis majoribus. Addere Cœlo
Culmina, & Auguſtæ ſuperare Palatia Romæ,
Mente tua minus eſt opus, & quo creſcere faſtos
Ipſe vetas. Videant ſeri, ſtupeantque Nepotes
Interdicta Foro turpis contagia quæſtus,
Juraque laxatas moderari provida habenas.
Scilicet excelſis quamvis ſpes macra lucelli,
Porticibus volitare tuis non audet, & ipſa
Acta dolore fugit mellitum Sportula nomen.
Exulet hinc Aurum, nec circum pulpita vultus
Erigat Argentum. Periit decus omne metalli
Flexanimi, & caſus jam ſerva pecunia plorat.
Proh pudor! (5) Ante ipſum quondam gallina Tribunal
Stridebat devincta pedes, mullique natabant
Barbati,

Barbati, Cauſamque tenerrimus hędus agebat.
At nunc muneribus nulla eſt reverentia: Pauper
Ac Dives ſolo diſtabunt nomine, nec jus
Accreſcet nummis. Popano corruptus iniquas
Non ſignat rabulas Judex, aut lactibus uncta,
Fęcoſoque garo prodit ſententia labro.
Non mixtas crudo ructat petaſone Rubricas
Turbidus Ædilis; quamvis mihi villica, fuſo
Depoſito, nullos decerpat ab arbore ficus,
Nullus,(6)& Hungarico Princeps ocreatus in auro
Pelliculam tendat. Felicia Sęcula! quando
Et Baucim magno fas eſt concurrere Craſſo,
Nec minor in tenui ſupereſt fiducia panno,
Aut trepidare Reos diſſuta ſubucula cogit.
Olim crimen erat mercedem poſcere longi
Servitii, & Proceres interpellare ſuperbos;
Nam lacrymas, gemituſque pios, juſtaſq; quærelas
Damnabat Prætor, veluti perjuria, ſi non
Beryllus digito, vel lato ſpira galero
Aurea fulxiſſet, ſi non umbella præiret,
Et ſenior famulus (7) dictaret nomina; ſive
Pallidus adſtaret, de nobilitate comesâ,
Qui lentas (8) quęritur nimium diſtare Kalendas,
Et tribus exoptat Menſem jugulare diebus.
Vincimus & miſeri, nec plebiſcita ſevera
Semper, & averſam patimur, gloſſamq; malignam
Pauperibus. Biſſenæ aliquid ſanxere tabellæ,
Nos quoq; quod foveat, nec Clementina repugnat.
Quid memorem ferro, laceratàque dentibus ævi
Marmora, & emeritas juſſas vigilare columnas,
Innitique ſolo, (9) Domus, ut Quæſtoria ſurgat,
Imperii tutela potens, validique lacerti?

Advena

Advena jam ſtupidus vectigal pendit, & Urbes
Finitimæ gaudent pulchro debere theatro
Annonę decimas. Res olim inviſa: tributum,
Fit deſiderium populis, animique voluptas.
Nam dum decreſcunt loculi, paſcuntur avara
Lumina, & obtutus compenſant fęnore damnum.
Sed neque prætaream ſilices ſplendere coactos,
Ædileſque novos, nec qui civilia dixit (borat
Bella luto (10) atq; alacer quacumq; in parte la-
Aggeribus, trabibuſque; parùm quę tibia laudat,
Et longum in trivjis hærent inviſa caballis.
Hoc quoque debemus, rerum Tibi maximè; veſtem
Scilicet immunem cœnoſę ſordibus Urbis,
Et mundas ſoleas: nam quis per compita ſiccus
Tranſire, aut poterat flexus impune viarum,
Rheda cui nulla eſt, nec mandunt hordea mulæ?
O quoties magnas mihi contigit ire per aulas,
Servis ridendus Procerum! dum etenim pedibus me
Porto meis, veniunt altis delapſa feneſtris,
Purgamenta olerum, capitique innaſcitur hortus
Penſilis, & ſummo frondet lactuca galero.
Sępe etiam, inverſâ, petulans ancilla, matellâ,
Perfudit crines, ſervatâ in Sabbata ſeptem
Urinâ, ſparſamque togam de rore latrinæ,
Et fędum Domini retuli ad pulvinar odorem.
At nunc cuncta nitent, noſtris nec cruribus hęrent
Quiſquilię, & luteę communia ſtercora Romæ.
Ipſi nempe tuo diſcunt de pectore vici
Munditiam, vetereſq; rubent, Tè Principe, ſordes
Romuleas fędare vias. Reſtat tamen unum
Ingens pauperibus damnum, tortâque piandum
Cannabe, (11) & Hetruſcę fortaſſe colore Tabellę.
Centum

Centum quippe vices jabeor decedere in horâ
Tramite, quò nulli feror importunus, adactus
Imperiis tantum, vultuque truci Aurigarum.
Quod ſi nodoſâ incipiam titubare podagrâ,
Et recto nequeat diſcedere tibia talo,
Inteſtatus eo figulis augere patellas,
Et noſtra in tenues migrant corpuſcula lances.
Nam rota præcipiti fertur temone cadentis
Per caput, atque humeros, ſparſoq; cruore rubeſcit
Orbita, & eliſum calcat furioſa cerebrum.
Tantaque Romanas ſignat truculentia bigas,
Ut crus dimidium, longoqne in calle repertas
Colligat auriculas, (12) & truncum filia naſum,
Si quidquam noſtri lacrymans imponere buſto
Ipſa velit: dulcis, conculcatique parentis
Incaſſum quærens, cui deferat oſcula, vultum.
Cur ſi mingit equus, carpenta morantur & ipſa
Expectat Lalage veſſicæ commoda equinæ:
Liber homo, (13) ſi forte roget: ſubſiſte parumper,
Auriga: ille volat, preſſoque cadavere, currus
Urget, & obſtanti franguntur crura popello?
Nempe (14) Valentino generoſus ſtigmate pullus,
Aut quem (15) felici Campania gramine paſcit,
Plus venit Romæ, & pretio majore paratur
Quam tunicatus homo. Fortaſſe & caulibus ipſis
Vilior eſt annona Animæ. Nam ſevus equiſo
Nunquam calcat olus, fit nulla injuria cæpis,
Et timet invito greſſus glomerare lupino.
Nos ſoli impetimur curſu, attrituque rotarum,
Pannoſique nigro pedites demittimur Orco,
Judicio viles non admittente querelas:
Non ſecus ac pulex ſub pollice inulta periret,
Dum

Dum femur, & teneræ ſcalpit ſecreta puellæ.
O utinam ductor ducatur de trabe ternà
Offenſo præbens jucunda piacula vulgo!
Dà, Pater, hæc miſeræ plebi ſolatia: reſtes
Carius ut Romæ proſtent, ſanctumque capiſtrum
Otia nulla trahat. Sed mentio libera quando
Incidit hic morum, noſtris ſit tuta poteſtas
Quædam, pauca licet, coram effutire Camęnis.
Namque mihi videor cerebroſus, & unus inanis
Contemptor famæ, captatoriſque macelli:
Quò meliùs nemo luxum, putumque ferire
Hac ætate queat vitium, ſi maſculus ardor
Inflaret jecur. At parvis, minimiſque moveri
Muſa dedit nobis. Hinc eſt quod ſępe BIONE
Offendor ſcurrà, muſcas, culiceſque trucido.
Sed qua bile feror, quoties penetrare repoſta
Limina Nobilium, Solymæ de ſtercore, curtum
Judęum, & croceos video tegnare galeros?
Eſt qui, (16) ſacratà quamvis luſtratus ab undà,
Nil inconſulto faciat maturus Apellà:
Tactaque pejuro non horret pocula labro
Sumere, communique ſolet cœnare catino
Anſeris arguti pulmonem, & ſanguine mundi.
Hunc amat, atque olidis ſpurcata lagena ſalivis
Plus ſapit. Ancillas, famulos, pueroſque coercet
Ille ſupercilio: Domino conducit agellum,
Imperat, & tetricà funeſtat imagine pupas.
Rem auget gnavus. Credo. Quin uxoris amicus
Eſt, ais, Elias, & quamvis ſordidus Aron.
Profit amicitia, ò ſodes; juſtoque peracto
Tempore, jam tibi naſcetur recutitulus infans,
Qui ſuibus parcet, cognataque ſabbata amabit,

Et decimo cautos impendet fœnore nummos;
Paulatimque thoro ſolus, ſiccuſque cubabis,
Officium fatui Verpâ ſubeunte mariti.
Sic placitum Uxori. Major fluit illa voluptas
Inguine Idumęo, peregrinaque mentula cunno
Delicias, venereſque ſapit. Permitte ſodalem;
Scilicet extorrem Mundo, Cœloque rebellem,
Filiolum veluti noſtrâ ſub Lege renatum;
Te merito(17)expectant opprobria. Viſere Cellas
Cur virides properant, Pharii monumēta triumphi,
Putidulaſque caſas regali ſyrmate verrunt
Patriciæ? (18) Levis cur mordent cruſta farinæ?
Quid quod, cum vetitus reſecat præputia culter,
Ipſæ adſtant, cupidæ mores, & diſcere ritus
Legales, Syrioſque ſonos garrire laborant?
Ac quoties Virgo rubris Hębrea capillis
Accedit thalamo, nuptam comitantur, & ipſæ
Flammeolum digitis aptant, mulcentq; pudorem.
Quin etiam lychnos, & candelabra recenti
Cerâ augent, ſacrâ forſan de ſede petitâ,
Cui thus votivum, (19) cantataq;myrra pependit.
Si mihi legitimis mulier permiſſa tabellis,
Turbaret ſocium, geniali pondere, lectum,
Haud equidem bipedis paterer commercia monſtri,
Nec noſtro obſcenæ regnarent limine braccæ.
Roma,(20)Triumphali fruſtra tibi ſervit in Arcu
Progenies Galilęa, tuos ſi fęda penates
Ingreditur, ridetque Titi perfricta ſecures,
Ara velut Solymę, venerataq; Templa manerent.
Jam ſubeat, teneatque domos; ſed ſulphure fractos
Sarciat ut calices, & putri pallia filo,
Umbricio, & Tuccæ feſtis portanda diebus.

Aut

Aut potius veniat pictam mutare Saonam
Cum caligis, tritâque togâ, vetuliſque lacernis,
Quæ macer Aoniâ ſervat Philodemus in Arcâ,
Jejuniſque vetat convivia lurida blattis.
Hæ tibi ſi ceſſent cauſæ, diffinde prophanum,
Sordidulumque caput: fur eſt, aut leno: minora
Flagitia, & gentis ſunt hæc peccata nefaſtæ.
Eſt tamen hoc vitium paucorum, & forte ferendum,
Si penſare velis fatuę ſuffragia Romæ,
Quò ſtudio, quantoque fremat laſciva tumultu,
Audiat ut tremulos, & fractâ voce canentes
Dimidios homines, quibus olim Nurſia barbam
Invidit, mollique diu peccare juventà,
Et tonſore dedit ſemper caruiſſe magiſtro.
Vertimus in pretium naturæ damna, probrumque
Teſticuli amiſſi centum & plus millibus æquat
Patriciæ tentigo auris. Caſtrate Parentes,
Si ſapitis, prolem, primàque ab origine radat
Argumenta viri furtiva novacula. Honores,
Divitiaſque dabit vacuum lanugine mentum.
Scilicet elumbis, librataque vocula giro
Multiplici, ſapit ambroſiam, guttumque beati
Pincernæ. Valeat tua mater, Nęvia clamat:
Felicemque vocat Lalage: felicia, Galla
Ubera, quæ ſuxit fœtenti ſemivir ore:
Crebraque ſollicito jaculantur baſia labro
Cantanti. Videt hæc ſtupidus, laudatque maritus.
Tange miſer caligas uxoris: non ne madeſcunt
Urinâ, veterique mero? Nimium, mihi crede,
Optantur dulces moduli, gemituſque canori.
Non eſt hoc artis ſtudium, ſed prona libido
Concubitus. Tamen hic cunctas impunè cathedras

H 2 Perlu-

Perluſtrat, cultaſque comas, & garrulus hæret
Auſoniæ, pedibuſque pedem titillat Amatæ,
Invitis quanquam magnis Rivalibus. Audi
Quæ(21)tulerit preſſis oculis, naſoque ſupino
Ulpidius. Mimum langueſcere ſenſerat uxor:
Quid non ſentit Amans? currit neglecta decorem:
Ac veluti hoſtili ruerent Capitolia flammà,
Aut færus attonità regnaret Vandalus Urbe,
Inſtaretque ſuper Patris, jugulumque mariti:
Currit, anhelanti ſimilis; vicinaque lecto,
Corcule, clamabat: ſed languida faucibus hæſit
Vox ſubito, & nudis riguit procèra mamillis.
Excitat interea languentem, atque anxia venam
Sciſcitat, & fędam rimatur ſedula pelvim.
Mox haurire jubet decoctum jure vitellum,
Libaque, & ingenuas cruſtas. Hiat ille ſolutis
Rictibus, & madidas, ceu pullus hirundinis offas
Accipit oblatas. Valeat ſtomacho tua Conjux,
Dicere fas eſt, Ulpidi: nam nullus olentem
Ferre animam Eunuchi poterit; lectiſſima quamvis
Balſama, & in loculis portet duo funera Regum,
Sepius Ægypti (22) quę reperiuntur arenis.
Attamen has vivas conducunt ære latrinas,
Et magnis pretjis multi licitantur in Urbe
Irritamentum Veneris. Minus eſſe pudicum
Conſtat nimirum, & Virtus, tibi vilior uno
In triviis obolo, fruſtra proſtrabit ementi.
 Sit podium, pictoque nitens orcheſtra theatro,
Pulpitaque, (23) & latò creſcant ſubſellia circo,
Flava ruinoſos quà proluit Albula muros:
Nil renuo. Antiquæ ſunt hæc patrimonia Romæ,
Et deſiderium plebis çeſſantis. At illud

Non

Non tulerim, vili pulſari pegmata ſoccò ;
Et perſonatos ſcenâ prurire Cinędos ,
Attellæ exodjis . Mutium , ſęvumque Neronem
Quam male vultus agit , quem non exaſperat ulla
Barba , decemve pili ſaltem. Non criſta minacem,
Enſis, & auratâ captivi caſſide crines ,
Actorem præſtare valent , ſi clune ſoluto
Cevet , & impuro jugulantur gutture voces .
Quid faciunt lubricos ſcalpentia cymbala renes ,
Dedecus Auſonio plectro , fidibuſque Latinis ?
Tędia nimirum mulcet Cantator, & aures
Nobilium recreare ſolet . Mihi crede, voluptas
Extra animum nulla eſt ; hunc ſi virtute levabis
Oppreſſum vitiis , ferient tibi ſinciput olim
Dilecti ſonitus , rivumque audire loquacem ,
Et ſatius cupies balantes rure capellas ,
Quo mè Rhoncus agit ? Veniam dabis , optimè
Princeps,
Terque Auguſte , meæ ſi commiſere Camęnę
Seria ridiculis . Non hæc Tibi pagina crevit ,
Quamvis ſępe tuo ſignetur nomine.Majus [nabit,
Surgit opus,(25)plectrumq;aliquid Tibi grande ſo-
Et toto Aonidum dicèris fonte beatus ,
Magnanimus, juſtuſque, ut nulli forte ſecundum
Poſteritas laudet, venturaque ſęcula carmen .
Sic Rullus, Labeoque, & Gręculus ille moleſtus
Semper, & inviſus, Muſis optata relinquat
Otia , nec verſus ſibi dividat unus, & alter .

NOTAE.

1. *Cauſidici , quorum numerus in Romana Curia penè innumerabilis , vulgo* Mozzorecchi *&c.*

 2. *Phy-*

2. *Pylodemus de Juris Conſultis Hiſtoriam ſcribit &c.*
3. *Nova Notariorũ Officia in Monte Citatorio &c.*
4. *Iidem talari veſte , & faſcia incedentes &c.*
5. *Dona Judicibus præſentari ſolita in Cauſarum commendationem &c.*
6. *Nummus aureus , nomine* Ungaro .
7. *Ille , qui primum locum tenet inter famulos Procerum , vulgo* il Decano *&c.*
8. *Aulicum deſcribit pauperem , & vili genere natum , communiter dictum ,* Cortigiano ſpiantato *&c.*
9. *Nova Moles conſtructa, ubi vectigalia ſolvuntur &c.*
10. *Cameræ Apoſtolicæ Clericus , qui viis Urbis reaptandis præeſt &c.*
11. *Tabella Sacris Imaginibus depicta, quà utuntur Confratres Societatis Divinæ Miſericordiæ , dum morti damnatis aſſiſtunt &c.*
12. *Vera Author narrat, & impunè commiſſa &c.*
13. *Caſus in Urbe frequentiſſimi &c.*
14. *Equus , vulgo* Ginnetto di Spagna *&c.*
15. *Alius,* Caval di Regno *&c.*
16. *Mores Romanorum fœdiſſimi &c.*
17. *Tabernacula à Judæis quotannis fieri ſolita , vulgo* le Caſelle *&c.*
18. *Panes azimi , qui ab iiſdem Judæis dono dantur &c.*
19. *Cereum Paſchale &c.*
20. *Arcus Titi Veſpaſiani in Campo Boario , in quo Hyeroſolymæ excidium apparet &c.*
21. *Non fabulam narrat &c.*

22. *Cada-*

22. *Cadavera Ægyptiorum aromatibus condita, vulgo* Mummie *&c.*
23. *Theatrum deſcribit in Urbe celeberrimum, vulgo dictum* di Torre di Nona *&c.*
24. *Comediæ Mutii, & Neronis in eodem Theatro nuper repræſentatæ &c.*
25. *Author de laudibus Regnantis Pontificis Innocentii Duodecimi Poema meditatur &c*

SATYRA XVJ.

TEn video? (1) an vana mè ludis imagine? dextram
Porrige; luminibus non credam. Parce timori,
Et lacrymis, Ligurine, tuis: defunctus acerbo
Funere, Tarpejas iterum Sectanus ad arces
Accedo; ſacris ignoſcunt fata Poetis,
Et nova lanificæ ſubtexunt fila ſorores.
Tu ne igitur nigros latices, tortoque colubro
Eumenides cultas, tu plenos ſulphure rivos,
Et leges duri potuiſti evadere Regni?
Fare, age; qui mores Erebi? quà gente coluntur
Tenariæ ſecreta domus? (2) Caligine poſtquam
Æterna invitos mihi nox concluſit ocellos,
Cæcum iter ingreſſus, nuduſq; & ponderis expers
Perveni ad ripam, ſtabant ubi pulvere belli
Mille animæ informes, laceræ, ſcapuliſq; minores.
Mirabar truncos artus, & vulnera, crude
Pluſquam ſufficerent morti, cædiſque petenti
Authorem, magnus ſonuit Veteranus (3) in aures,

Quò duce Biſtoniæ ceciderunt cornua Lunæ,
Et fera Cæſareo ſervata eſt Dacia Regno.
Has tamen immiti gibboſus Navita conto
Reppulit, & ſtygias tranſmittere noluit undas.
Hærebam timidus, nec compellare (4) Phaſelum
Auſus, ab obſcæno ſtagni rumpebar odore.
Namque illic fætor, qualis graſſatur in ędes,
Cum veteres paleas, (5) & tritos cimice lectos
In triviis urit turpis meretricula. Tuſſis
Prodidit invitum. Clamat tunc portitor: heus tù!
Unde es? quò properas? quę tanta licentia? nomen
Ede prius. Veſtras ſubeo novus hoſpes arenas,
Sectanuſque vocor. Sectanus? nil moror: ultrò
Ingredere, & noſtram generoſo pondere cymbam
Fas onerare tibi. Noverunt tartara, & ipſæ
Elyſiæ valles Sectani carmina. Nunquam
Trajeci majorem animam, pinumque ſubegi,
Infernas poſtquam petiit Lucilius (6) oras.
Hæc inter, ſulcabat aquas male ſarta carina:
Cum gemitus, ſpiſſęque preces, & flebile murmur
Incipit audiri. Pendebant rupibus altis
Innumeræ umbrarum turbæ, gelidæque catervæ,
Tendebantque manus. Sic carcere (7) clauſus Juli
Debitor infelix ſuſpendit arundine quoſdam
Pileolos, obolumque rogat. Nos remige ſurdo
Tranſimus miſeros, medioque illudimus ungue.
Namque Charon docuit: macros, & veſte carentes,
Quos, Sectane, vides, auri veſana cupido
Occupat in terris; ſed poſtquam ſtamina Clotho
Diſſecuit, loculi non vincunt Judicis urnam.
Illic æterno ſtringuntur frigore, & arctam
Pauperiem morsâ nequeunt pacare farinâ.

Nec

Nec juvat argentum, cum non licet amplius uti,
Extremâ in tabulâ ſuperis donare, Deuſque
Eſto hæres, dicas. Renuunt patrimonia Divi,
Fęnora quæ ſapiunt; quamquam Fraterculus ille
Piſcator, (8) Cęlo adſcribat, Geniiſque beatis,
Expiet & fędę quęcumque piacula vitæ,
Crimine ſi partum moriens legaveris aſſem
Cęlitibus. Miſeri quantum falluntur Avari!
Marmore quæ Pario fabricatis Templa, cruorem,
Et lacrymas redolent, venis quem pauper apertis,
Expreſſitque olim madido. (9) Provincia vultu.
Hinc eſt quod ſacræ feriuntur fulmine Turres,
Et ſua flammigero ſordent delubra Tonanti.
Mentibus humanis, veſtroque Altaria corde
Inſtaurare juvet, fulvo potiora metallo:
Hæ ſunt, quas habitat præſentia Numinis, Arę.
Interea limoſa palus decreſcit, & aura
Efflare incepit vicino è littore, qualis
Spirat in Exquiliis, (10) Romæ fervente Leone.
Nec mora; gramineis exponit Navita ripis
Jam feſſum. Spatiare, ait, hæc circum loca plena
Innocuo riſu, choreis, placidoque ſopore.
Dum luſtro colles, & prata virentia, ridens
Ecce mihi à læva Democritus, atque Epicurus,
Et qui non timuit gelidas ſorbere cicutas,
Et Plato, &, indigno vultu, rictuque canino
Diogenes; properant Xenophon, oſorque fabarum
Pythagoras, Zeno, Crantor, doctuſque Cleanthes:
Unâ omnes clamant; veſtris arcete prophanum
Sedibus, (11) o Cives; nec fæda cucurbita Blittri
Hæc ſtudia, has artes, hæc grata ſilentia rumpat.
Nec tantum verbis, ſed pallida turba minatur

Ere-

Erectis baculis. Poterat quis jurgia, ſalvò
Occipite, elàbi, denteſque referre ſupernè?
Sed Cynico Harveus ſe ſe miſcere tumultu
Auſus, ab inſonti repulit cervice timorem.
Protinus accurrunt Boilès, ſolerſque Borellus,
Longevuſque ſenex, (12) Capuanæ gloria gentis,
Et nova (13) qui Tuſco detexit ſydera Cęlo,
Victuruſque (14) diu toto Cornelius orbe;
Hi rixæ eripiunt, dextrâque tuentur inermem.
Mille aderant alii; quos inter, funera nuper
Paſſus, & umbra recens, Malpighius, inquit, ab
Urbe
Quid,Sectane,refers? Lęta omnia namq; ſupremus
Claviger ætatis non ſentit damna, ſuiſque
Viribus innixus, veſtris non indiget herbis,
Pęoniaſque artes, & lubrica pharmaca ridet.
Exarſit, ſectoque genas mihi perlinit ovo,
Quod modo de natibus gallinæ traxerat,(15)inde
Fæturam ingeniti cupidus dignoſcere pulli.
Egrè delapſo, bullà ſpectandus, (16) & auro,
Romanâque togâ, gravior ſe Tullius offert,
Non ſine contractis rugis, ſimiliſque frementi;
Et procul attollens librum, quem forte tenebat;
Quis ne Bion, (17) inquit, nunc, verſo nomine,
Janus,
Stultitiæ ſpecimen (18) nuper qui condidit, & ſe
Eſſe parem nobis fingit, vultuque ſuperbo
Deſpicit Iliadem, & divinum Æneida culpat?
Tres chartas, (19) ſeptem titulos, & inania mille,
Exigui argumenta animi concluſit in uno
Codice. Grande opus! Arpini quò fama laboret,
Atque Oratorem condemnent roſtra puſillum.

Quam

Quam ſapit Auguſti liber hic dulciſſimus ævum !
Crediderim noſtrâ vixiſſe ætate Bionem,
Collegamque meum. Currentes deleat (20) annos,
Romanoque novæ ſignentur Conſule chartæ:
Jurabunt cuncti Phylodemum priſca tuliſſe
Tempora, & eloquio forſan meliore Milonem
Tunc potuiſſe reum defendere. At! o mea longo
Imprudens quiſquis ſequitur veſtigia greſſu!
Et fatui Bembus, Jovius, Sadoletus, uterque
Scaliger! & docto fruſtra vigilata Budeo
Pagina! nos etiam, nedum nos, deſpicit impos
Græculus, & Calabram Romanæ opponere linguã
Sacrilegus jactat. Quid? quod cum, gutture rauco,
Strangulat obſcænas voces, & languida verba,
Auſonio putat ore loqui, (21) noſtroſque referre
Accentus, pondus, numeros, putumque leporem.
Demens, atque iterum demens, quem ſyllaba torquet
Ambiguo librata ſono, farique laborat,
Jejunâ, ut nemo dicentem intelligat aure.
Ipſe ego, ab Elyſiis iterum ſi roſtra liceret
Scandere, diverſo loquerer ſermone, recenſque
Corrigeret Cicero Ciceronem. Cuncta fugaces
Immutant anni, ſolidoque ex ære columnas
Longa dies minuit. Tenuem nos vivere vocem,
Fluxaque verborum credemus regna manere?
Non ita. Temporibus, genio, placitiſque juventę
Serviat Orator. Dicendi inſignior arte
Ille erit, & Gallo felicior Hercule, qui ſe
Humanæ dominum mentis, cordiſque tyrannum
Præſtiterit quocumque datum ſermone. Latinas
Lam-

Lambere quiſquilias, & ſtercora futilis Enni
Grammatici labor eſt, qui ſemper inania captat,
Veraque quas habeat neſcit facundia vires.
At tù ſi ſuperas iterum remeabis ad auras
Sectane, hunc Janum ſale multo ſparge, & aceto.
Nulla magis Tullj placabit victima manes,
Vindice tè quamvis caderet, facinuſque piates
Antonj. Spero hæc; tibi nam Patareus Apollo
Ingenium, jaculumque dedit, vireſque paratas
Quidlibet audendi feliciter. At quoque vellem,
Et jubeo, ut calamo, dictiſque ferire Pelaſgos,
Quod bene cępiſti, properes operoſius. Omnes
Nugarum artifices Danai, & cantare periti
Fabellas pueris. Non eſt quod Græcia Romæ
Inſultet; noſtræ tanta eſt præſtantia linguæ, [vis.
Ut peregrina (22) queat donare vocabula Achi-
Hæc vbi dicta dedit, grandi dum plurima Larvæ
Oſcula, & amplexus, nonnullaq; verba parabam
Reddere, dilapſa eſt, cupidumque fefellit imago.
Progreditur timidus callem, feſtivaque longe
Turba mihi viſa eſt, cui circum tempora lauri,
In manibus citharæ, pecten, membrana, tabellæ.
Accedo propius: namque hæc inſignia gentem
Eſſe Deo charam docuere, & noſcere amicos
Ardebam veteres. O quæ, Ligurine, voluptas
Pectora demulſit! Naſo laudare furores
Orlandi, (23) Tuſcumque ſibi componere vatem
Geſtit, & Eridani nova gloria naſcitur undis.
Virgiliuſque manu Torquatum ſępe trahebat
Ad fontes Erebi, placidâque ſub ilice fletus
Erminiæ, & varios gaudebat diſcere caſus.
Civili hic aderat Lucanus ſanguine tinctus,

Et,

Et cum Pontano, Gallus, graciliſque Catullus;
Nec non ſublimi frondis dignatus honore,
Petrarca, extinctę buſtum ſpargebat Amatę
Floribus, & tenero flectebat carmine Ditem.
Hunc, centum, aut plures, Arni de margine olores
Circumſtant, cupiuntque ſonos, & verba referre
Vatis dulciloqui; potius ſed rudere credas,
Tam lento, pigroque legunt veſtigia greſſu.
Aſt alii, quorum facies indigna Poetæ,
Aſparago cincti, vilique legumine crines,
Captabant muſcas, & ſubtus jugera grillos,
Quos inferna ſolet magnos producere tellus.
Singula dum repeto, clamat Juvenalis, amice,
Si tè fata vocant, & noſtris incola terris
Advenis, hic fidi commercia mutua cordis
Experiere mei; quin tecum Perſius unâ,
Cæltiber, (24) & nitidus gaudebit Horatius ævum
Ducere: ſin autem ſtricto ſevire flagello,
In mores properas, non longius aura beatæ
Sedis, & innocui teneat tè ceſpitis umbra.
I pede magnanimo, totamque impunè per Urbem
Fas tibi criminibus, vitiiſque indicere bellum;
Nec timeas populo vultus aperire; tuetur
Te cauſa, & ſancto metuens nil Principe Virtus.
Immeritò, veſana, doles, quin plurima debes,
Roma, tuis Satyræ ſcriptoribus. Improba Claudj
Peccavit conjux: (25) noſtro ſed fuſte dolata
Terruit Auſonias matres, nuptaſque Latinas
Sacra maritalis docuit ſervare cadurci.
Præterea vani mores ridere popelli,
Et res turpiculas moneo. Venatio (26) Burrhi,
Quinta cui (loqueris dum tuſcè) littera deſit;
Le-

Levę cõcubitus (27) ſteriles, hederęq; mariti (28)
Zelotypi, tenui diſſuta, (29) ſubucula rimâ,
Naſicæ volucres, imitataque carmina ranas (30)
Præbebunt calamo ſegetem. Satyrus duo nectat:
Acre, & ridiculum; dulcique aconita cachinno
Miſceat. Ipſe tibi monſtrabit Horatius unde
Colligere hæc valeas. Simul & diſcedere cogit,
Deſignatque viam digito; ſed callis euntem
Fallit, & ignoto deducit tramite greſſus.
Eſt locus æternæ noctis, quem nuda coronat
Fatorum ſeries; intus penetralia ducunt
Fila Deæ, turpes vetulæ, ſpurcâque ſalivâ,
Prægnantem tereti compellunt turbine fuſum.
Aſt ego furtivus percurrens lumine telas,
Plebejoſque colos, quæſivi ſtamina Regum
Purpurea, & ſparſo creſcentia licia flore.
Tunc mihi phryxeo vellus ſpecioſius auro
Affulſit, mixtiſque roſis candore nivali,
Tænarias purâ vincebat luce tenebras.
Urget opus Tyberis Genius, ſimiliſque precanti
Demulcet Divas; illo nam ſtamine pendent
Res Italæ, Mundique ſalus, & publica vota.
Ilicet exclamo. Securo pollice lanam
Ducite, (31) concordi fatorum lege, ſorores;
Et nivei ſemper calathi nova fila miniſtrent,
Donec tranquillo vacuetis plurima fuſo
Sæcula, & Alma, ſuo ſub Principe, Roma ſeneſcat.
Hęc fatus, dubiam quâ monſtrat rimula lucem,
Evaſi ad ſuperos, ubi tè, Ligurine, parantem
Sectano inferias, lacrimas abſtergere juſſi,
Et vivus, vegetuſque adſum. Multum mihi reſtat
Audire. Ecquid agunt tenebroſo in littore noſtri
Ro-

Romulides? Puto enim emuncto te ſingula naſo
Olfeciſſe tuo, atque omnes cognoſcere larvas.
Ecquid agunt? Ride. Torvo illos lumine figit
Luridus umbrarum Rector, nigroſque jugales
Pectere,(32) & æternum mandat pulſare flagellũ.
Illorum quiſquis melius, crepituque ſonorus
Lora quatit, furvæ jam deſignatur habenæ
Auriga, in Siculos ſi fortè erumpere campos,
Atque novâ thalamos cupiat reparare rapinâ.
Hoc tantum ſperare licet; nam Brutus, & aſper
Ore Cato, Fabius, Curius, fortiſque Camillus
Degeneres, ſpurioſque vocant: illoſque recenſent
Albanos inter Cives, Equiteſque Sutrinos.
Et merito; nec enim Romano ſanguine cretum,
Et genus Aſſarici credam, Martiſque nepotem,
Qui nunquam timidum vaginâ liberat enſem,
Alligat & tunicę capulum, ne lædere quemquam
Sponte ſuâ properet cuſpis malè ſana duello.
Vecordes animæ! lateri diſcingite ferrum,
Atque aptate colos. Virtus Romana, quadrigæ
Aleaque, & fado traductæ in fornice noctes.
His utinam contenta foret! ſed pectore virus
Condere, & in labro riſus diſponere: Amicum
Fallere, adulari: ſervos, & vilia quæque
Mancipia obſequiis, & turpi lambere palpo,
Nemo magis callet, quam vos. Quid? non ne puellas
Ingenuas fraudare [33] licet, capitique decorum
Flammeolum, & digito luſtratæ pignora gemmæ
Non ſervata fides adimit? Si circulus auri
Sponſorem vincire nequit, firmate catenâ,
Compedibuſque nigri poſt hac connubia fabri.
Quid

Quid memorem quanto frangunt patrimonia luxu,
Et veteres ſtatuas, & olentia ſigna Corinthum,
Patriciæ monumenta domus? non jugera tantum,
Et nemus, & cultas jam diripit auctio Villas;
Sed thecam umbellæ, ac ipſum pulvinar equeſtre
Sepius [34] aſpicimus dominâ venale ſub haſta.
Deque tuis auro textis, generoſe, lacernis,
Fiunt interule, birri, braccæque minores,
Unius argenti drachmam ſi luſcus Apella
Augeat, occiduo dum ſpirat lumine cera.
Quid non immutat ſuprema potentia fati?
Olim depoſito veniebat Conſul aratro
Ad Faſces; at nunc de Conſule fiet arator,
Si celeres urgent nimium, triſteſque Kalendæ,
Fenebris, & patrium limare pecunia cenſum
Cęperit. Æſtivos tunc odimus Urbe calores,
Rhedarum ſtrepitus, & fędos pulvere vicos.
Rura placent, parcuſq; cibus, ſine mentore menſę,
Nudatumque latus famulis. Sic ære gravati,
Serrani evadunt, Curiique, & priſca Catonis
Tempora collaudant. O quæ convivia! quales
Acturi choreas! ſi turpi [35] creditor ore
Ultra ſauromatas, gelidaſque recederet oras,
Aut nummus macrâ redivivus creſceret arcâ.
Præterea inſanas quantâ vertigine mentes
Ambitio, vanoque implet præcordia fumo!
Invenies Romæ paucos, quantumlibet imæ
Stirpis, Julæas qui non meditentur habenas
Carpere, & ingenti crinem veſtire Thiarâ.
Nemo Mathematicos non conſulit, & ſua novit
Sidera. Nil reſtat. Triplici circumdata luce
Hora

Hora tuæ affulſit geneſi. Dicère beatus,
Et tibi feſtivis ardebit putre quotannis
Doliolum flammis, populumq;videbis ab alto
Turbidus Octophoro. (36) Miſeri, quibus acta petauro
Mens nunquam conſtat, curſuque rotatur inani!
Ut placet, atque jocos nulla mercede coemptos
Particulo (37) præbere ſolet, cui tincta veneno
Lana Tarentino bibulos abſumit ocellos,
Quique Palatinâ ridendus Ghittus (38) in Aulâ,
Immundis ſoleis, & ſparsâ ſorde lacernâ,
Coccineos ambit Patres, cupidumque Mitellæ
Sæpè caput ſcalpit, & baculum ſuſpirat opimum!
Si ſapiunt Proceres, potius tibi, Ghitte, regendas
Virgà gallinas tradent, quas Umbria mittit
Fertilis ovorum, vel quas per compita Romæ
Saltantes, tenui Maculo compellit hibiſco,
More capellarum. Laſſare ſedilia tandem
Sit pudor, & ſanctum braccato milite limen.
An non te centum Æmiliano (39) jure catilli
Expectant madidi, barbà quos lingere acutà
Poſtulat officium? Cur bella domeſtica (40) miſces?
Et perſonatum (41) querulus conducis Iberum?
Sunt alii fatui pariter, qui licia poſtquam
Diſſolvit, vacuiſque colis ſonat aſpera Clotho,
Induti ſetis cupiunt (42) deſcendere ad Orcum,
Et tortà lumbos præcincti cannabe, tanquam
Non exoratum flectat Rhadamanta Cucullus
Poſthumus, & ſero velati pulvere crines.
Concubitus inter, ciathoſque, & nomina mille
Dedecoris, poſtquam fœdaſti turpiter ævum,
Ultimaque horribiles ſecuerunt fila ſorores,

Cœnobium fruſtra quęrunt ſub Tartara manes.
Non illic tenſà vigilabit Janitor aure,
Ut reſeret valvas, cum tintinnabula pulſas,
Nec Cellam ſubeunt umbræ, ſed vorticis ignes
Sulphureique lacus tranandi, quos ferus vrget
Auſter, inocciduà pęnarum turbidus unda.
Mors ſpeculum vitæ eſt. Si bacchanalia tota
Vita olet, incaſſum moriens jejunia venter
Affectare parat. Tunc, tunc cum fervidus artus
Sanguis obit, primæque micas ardore juventæ,
Cum geminos (43) moderaris equos, cupidoque puellas
Obtutu comedis, torto cum lumine vibras
Spicula, & à nulla tranſis, ſine cæde, feneſtra,
Tunc quærenda tibi virtutę viatica, & horæ
Præſidium extremæ. Merſà cum navita cymbà,
Jonio nudus jactatur ab æquore, fruſtra ſtret,
Reſpicit ad ligulam, geminum quæ Caſtora mon-
Aut pacare parat projecta merce procellas.
Nec minor illa mihi, riſuque petenda videtur
Stultitia, obſcurum titulis augere ſepulcrum,
Frigidàque unguenti guttà, totoque lutare
Corpora *Pompejo*; (44) pretioſo abdomine mures
Scilicet ut paſcas, & ſpirent cinnama blattæ.
Hic ſitus eſt Legum interpres, & doctus utroque
Codice, pullatus monumentum condidit hæres.
Undecimo Cithiſus jacet hic Octobre peremptus,
Deliciæ quondam, viduæ nunc cũra parentis.
Plange viator. Erat . . . Dele mendacia ſaxo,
Et ſcribe. Hic tegitur pulvis ciueriſque caduci
Relliquiæ. Quamquam ſine carmine fœda loquuntur

Fune-

Funera, & auritum prohibent accedere naſum.
Oh hominum curas! rapidis mandare timemus
Oſſa inhonora rogis; animus cœleſtia natus
Viſere, & æternæ non ultima portio mentis,
Quò fertur nemo quærit: ſtolidèque beatum
Eſſe putat vulgus, ſcriptæ ſi pendulus urnæ
Pileus immineat,(45)Grajoque è marmore buſtum
Nobilitet Pietas, (46) Prudentia, & ubera nuda
Quæ geminis prębet pueris Matrona. Relinquo
Hæc cuicumque velit. Famuli, mœrore locato,
Exagitent nigris phalerata cadavera flabris,
In quibus (47)auricomâ pinguntur fronte Leones,
Aut Bos, aut Pardus, ramoſave cornua Cervi.
Non tamen à tineis fugiet putredo ſuperba
Corporis, & Phrygio immejet Libitina tapeti.
Nil horum ſapiens curet, nugiſque relictis,
Proxima non fluxi commercia cogitet Ævi.
Dum mea caſuris non contegat oſſa ruinis, [rus
Extra Flaminiam, [48] qui pendet ab aggere mu-
Sandapilę ſim pondus iners, & honore carentem
Quodlibet excipiat nudum ſine nomine ſaxum.
Terram terra tegat. Veſana eſt cura ſepulcri,
Et tituli,poſt hac quem non dignabitur hęres
Aut legere, aut ſaltem luſtrali ſpargere lymphâ,
Candidulęque duo donare piacula cerę.
Ite procul vani (49) plauſus,taboque latenti
Reptilis ambitio. Meliorem ſubdidit Orcus
Scribendi ſegetem; namque illic plurima vidi,
Quę ſapere attonitum cogant,nec fidere vulgi
Judicio. Motâ me territat Æacus urnâ;
Nec quidquam celeri fas eſt ſperare juventâ,
Cirratiſque comis. Ipſi, quos vivimus, anni

Decreſcunt vitę. Lentę productio mortis
Eſt ſpatium, miſeri, quod falſo nomine, vitam
Dicimus. Albano dum lętam nectare teſtam,
Dum ſerta, atque roſas, dum larga unguenta paramus,
Obrèpunt taciti malè ſano in vertice cani,
Et riſum lacrymę ſubeunt: rigidiſque jocantis
Excutit è manibus plenos Libitina trientes.

NOTAE.

1. *Ligurinus viſo Sectano, quem in obitu inſignis Poetæ N.N. mortuum fama vulgaverat, ſtupidus illum interrogat. Unde Satyræ exordium.*
2. *Sectanus incipit narrare quæ ſibi poſt mortem contigerant.*
3. *Præſtantiſſimi Ducis memoriam recolit, occaſione ingenioſè ſumpta.*
4. *Flumen tranſire volentes ſolent hac voce ſæpè clamare,* Eh Barcarolo *&c.*
5. *Æſtate pauperes fœminæ tradunt flammis ſtramentum, vulgo* Pagliaccio, *unde peſſimus odor!*
6. *Satyricorum Princeps.*
7. *Carceres innuit in via Iulia conſtructos vulgo* Carceri nove.
8. *Quem innuat Author, videant naſuti.*
9. *Cujus procurationem ſubierant, dum inter vivos agerent.*
10. *Hic creditur habitare Author.*
11. *Mordet obiter Ariſtotelicæ ſectæ Auditores.*
12. *Leonardus à Capua.*

13. Ga-

13. *Galilaus*.
14. *Celebris Phyſicus, Thomas Cornelius*.
15. *Quia nimirum Malpighius Librum edidit ſuper hac re ſatis notum*.
16. *Veſtis Senatoria, & Conſularis*.
17. *Ianum ſe nuncupavit in Libro nuper edito, ſpreto Ioannis nomine, quod in baptiſmate acceperat*.
18. *Arguta imitatione taxat Phylodemi Librum, cui titulum,* Specimen Juris.
19. *Putidam Libelli exilitatem graphicè deſcribit*.
20. *Phylodemus ſolitus jactare, quod ſi ab ejus Libro milleſimum eradatur, omnes credent ſcripſiſſe tempore Auguſti*.
21. *Altera Phylodemi fatuitas, dum putat ſe non tantum ſcribere, ſed loqui uti Tullius*.
22. *Tullii ſententia in Tuſculanis, & in Libris de Finibus*.
23. *Opus Areoſti, vulgo* il Furioſo.
24. *Martialis*.
25. *Meſſalina*.
26. *Burrhi Liber, cui titulus,* Caccia di &c.
27. *Puerorum in Scholis luſus*.
28. *Cauteria*.
29. *Genus induſii ab Hippocrita marito excogitatum*.
30. *Naſica Librum edidit in quò volucres, & ranas loquentes inducit*.
31. *Authoris vota erga Sanctiſſimum Pontificem*.
32. *Romanæ juventutis mores acerrimè mordet*.
33. *Caſus recens Romæ notiſſimus*.
34. *Innuit forſan* la Congregatione de' Baroni.

35. *Creditoris ſemper turpis facies.*
36. *Sella geſtatoria Romani Pontificis ab octo ſervis fulta.*
37. *Homo quidam fatuus Purpuram ridiculosè appetens.*
38. *Notus uſque ad nauſeam.*
39. *Hieronymus Æmilianus Inſtitutor Familiæ, vulgo* Somaſca.
40. *Diſſidia inter Fratres.*
41. *Socius aſcititius.*
42. *Nebulones hypocritæ Monachorum veſte ſepeliri mandant.*
43. *Vehiculi genus, vulgo* Biroccio.
44. *Celebris unguentorum inſtitor in Urbe.*
45. *Galerus index dignitatis ſuſpendi ſolitus in tumulis.*
46. *Signa virtutes repræſentantia.*
47. *Stemmata gentilitia.*
48. *Locus extra Portam Flaminiam, vulgo* Muro torto, *ubi Meretrices ſepeliuntur.*
49. *Authoris emphaſis, & ſaniora vota.*

SATYRA XVIJ.

JAne, Bion, Phylodeme, Opice, & quocumque vocaris
Nomine, [1] vive diu ſcuticæ ſecurus, & albi
Præceptor Cunni; merces extolle Pelaſgas,
Ut pro rancidulo veniat tibi penſio Beta,

Fumo-

Fumoſus petaſo ; vappæ bis quinque lagenæ,
Anniculuſq; ſuis (2) hędus cum cornibus. Hæc eſt
Sportula Trojugenum canibus rapienda Togatis.
Sit quoque perjuro tibi fas imponere labro
Cęlicolis, (3) plenoque crepes jejunia ventre
Ante Stolatarum cętum. Inſanire licebit
Quantumvis poſthac, nam noſtra emarcuit ira,
Et lepidi quondam ſenuerunt ſplene cachinni.
Me diverſa juvant, puerique cupidinis arcu
Ad molles adigor verſus fregiſſe Cathedras:
Nec munus Cenſoris agam, Lucretia cunctis
Romulidum thalamis, & plurima Portia ſedit,
Simplicitas, candorque, fides, reverentia morum
Limina veſtra terunt, nec quæ corrodere poſſit
Livor habet. Solas nimirum urtica ſupinat
Libertas, lectoſque premit Cerdonis adulter.
Sed levi immoritur mento, longamque juventam
Suſpirat Nemeſilla gregis, quem Tonſor abhorret,
Quem luxus vetat eſſe viros, natura puellas.
Hos pluſquam natos, & pluſquam mille Maritos
Diligit, hos Matri præfert, dulcique ſorori,
Atque Animę, & ſi quid potius. Quę gloria tandem,
Quale decus Nuptæ, ſi Sambuciſtria dici
Contigerit? Gaudete viri; jam cymbala veſtræ
Uxores pulſant, Matronaque ſanguinis alti
Comędo teneras delumbans gutture voces
Provocat horcheſtram. Metuebat Pſaltria quondam
Ædilem, fuſtemque trucis Lictoris, & arcto
Fornice vix paucos jugulabat in aure ſuſurros;
Nam delatorem quodcumque lupanar habebat.
At nunc conducto diſcit cantare Magiſtro
Filia Torquati; maturaque virgo marito
I 4 Dinu-

Dinumerat ſpiſſas latà teſtudine chordas ,
Atque repercuſſas in dotem computat auras .
Macte animo , Mater clamat , dulciſſima proles ,
Et Pater adductis natam collaudat Amicis ;
Tamquam de Phrygio turgentem vellere telam
In plantas variaſſet acu , pictaſque volucres .
Veſicę interea non imperat uda puella ,
Quam moduli ſtuprant, Muſicæque canora libido .
Illa cupidineis multum opportuna ſagittis
Ætas ſponte furit : quid mendicatis ab arte
Irritamentum Veneris ? Nil carmine Thuſco
Excitat urinam , reneſque potentius urit .
Ecquis non caleat, cum vita, & cara voluptas.
Spes mea, (4) dulce bonum audit ? Quiſque putat
ſibi dictum ,
Et ſibi blandiri ; facile nam creditur illis
Qui palpant . Dives, Juvenis, Formoſus haberi
Nemo eſt qui renuat, quamquam mendicior Ollo ,
Et ſenior Barro , Naſicà turpior eſſet .
Pedere te mallem Albinam,& ructare Phalernum,
Quam canere , & tremulo percurrere pollice fila ;
Nam crepitu ventris nemo queritur niſi naſus :
Dum cantas jugulas animos , mortiſque propinquę
Indicium lęſo rumpunt ſuſpiria corde ,
Tinguntur que genæ violæ pallore . Recedant .
Qui cupiunt ſervare diu corpuſcula, quippe
Hic blande occidimus,(5)nec non civiliter Orcum
Intramus , citharà plaudente , & voce beatà .
Hoc tamen exitium multis optabile . Terrent
Me potius,celeri tunc cum damnoſa fritillo
Arma movent,(6)diruſque Monas marſupia radit;
Vel cum ſermo novis de veſtibus incidit, & jam
Solli-

Sollicitæ expectant,(7) quas mittit Gallia Pupas,
Archetipas luxus. Sunt hæc rectiſſima morum
Regula, nam nulla eſt temeraria tamq. decoris
Immemor illa ſui, quæ ſe componere, ſeque
Negligat ad normam peregrinæ ornare figuræ;
Hęc jubet ex auro præfigere cingula lumbis,
Hæc Xerampilinos, Venetoſque indicit amictus.
Quod ſi coccineo niteat Proculina colore,
Quem non Pupa tulit, per cunctos fabula cętus
Narratur, querulis multum ridenda cathedris;
Et conſanguinei properant deferre Marito;
Infami titulum veluti ſuſpendere cellà
Auſa palam fuerit; ſed nunc formoſa decenſque
Sponſa audire nequit, cui non teſtudine fulta
Dactilotheca nitet,[8]nugis pretioſa ſupellex.
Ergo omnes Cedri tabulis, aut cortice Olivi
Inſtituunt Arcam, & latis ſpecularibus ornant.
Sunt miri artifices Romæ, nam brachia Faunus
Aureus extendit, pluteum vel ſuſtinet Atlas,
Vel geminus ſquammis Triton, caudiſq; retortis,
Ut melius vivo nil poſcere Mentore poſſis.
Inſpice quid lateat. Lacrymis conflata carina
Heliadum, parvæ lances, & crater Iberà
Nobilis argillà, (9) quem ſępe Hiſpana comedit
Fęmina, ut accitus laudaret pallor amantem.
Hic Bruti puerum cernas, & Lagona vivum,
Cajolos, gibboſque breves, & pumiliones;
Adſunt & minimæ Rhedæ, falluntque jugales
Pene oculos, veniuntque boves ſub aratra puſilli.
Parte alià tenuis catinenſi marmore Chiron
Educat Eacidem, vixque eſt dignoſcere caudam.
Omnis in exiguo labor, & pretium. Aſpera quanti
Un-

Unciola argenti conſtat, dominique metalli
Puſtula, conciſa in facies, pecudeſque minutas!
Nil equidem. [11] Inſomnis jaceat Quintilla, vocetque
Mane putres (12) oculo qui pelves reſpicit uno,
Protinus accurrunt, qui dentiſcalpia, thecas,
Cultellos, globulos donent, plenaſque recenti
Pompeio phialas. Si venerit altera tuſſis;
Mittetur variis (13) compacta armilla ſigillis,
Et tribus Antinois, ſeptenique Neronibus aucta,
Splendeat ut teretris multo de Ceſare dextra.
Ordine quiſque ſuo largitur; myrrina Dives
Vaſcula, Majoris Pauper carcheſia Ripæ;
Cauſidicus loculos, & Procurator eburnos
Alveolos, priſcoque rudes ex ære lucernas;
Quiſquis enim properat ſoteria pendere Amicæ
Pallidulæ. Hac inter creſcit languoribus Arca
Sępe etiam fictis, & juſſæ munere febris.
Nil tamen ad Plutei rationes conferet unquam
Utilius, Dominæ vultu, roſeoque labello.
Nam ſi quam multas Lalage numerabit ariſtas
Jam ſenior, Quartana licet ſuccenderit ægram,
Aut Phtiſis, accedunt raro munuſcula; nullus
Buxeus hinnit equus, nulluſque Auriga piropo
Lora quatit: quin fędi habitant armaria mures,
Aut laqueo muſcas capturus Araneus ambit.
Ergo age qui pulchrà lætaris Conjuge, Rhombos
Incautos, mulloſque eſcà blandire bilibres,
Dum licet, & primi vernabit floſculus ævi:
Nam cito decreſcit donandi gloria; menſes
Quatuor accedant, vel purpura defluat oris,
Nullum de tantis tua janua cernet Amicis.

Quid facies ? Fundi pretio carruca paranda ,
Inque unam cedet fęlix vindemia pallam ,
Plenaque dimidiam redimenr vix horrea Criſtam.
Si tranſire juvat, quà priſca à ſanguine [14]Turris
Nomen habet , ſolà conſcriptos Conjuge libros
Invenies . Jani debet Fauſtina Kalendis
Biſcentum ; totidem ſextili Menſe . Quid ultra ?
Implet ephęmeridas uxor , cunctiſque notandam
Inſtitor oſtendit , querulusque obgannit in aurem,
Donec valvarum [15] ſerotina Chartula rimas
Ingreditur,ſtringitq;aciē male ſcripta [16]legentis
Trojugeni . Lex ſuccurrat , cautelaque Ubaldi
Quantumvis, veneunt tandem damnata ſub haſta
Aulea, & pictæ tabulæ, Phrygiæque Columnæ .
Quis pudor,& fremitus tunc cum Licitator anhelat
Anxius; addo decem. Non ſufficit. Addo ducentos;
Fataliſque ſuper moritur candela tapete .
Hujus ab interitu cæveas , Romane , memento ,
Et cari pluſquam formides funera Patris ,
Si potis es dominæ momenta evadere ceræ .
Nonne vides quanto laſcivit prodiga ſumptu
Fęmina, nec ſentit pereuntis damna crumenæ ?
Pendet ab auriculis Cenſus, totàque flagellat
Dote ſinum, & digito Patrimonia portat in uno ;
Pocula, ſi poſſet, biberet famoſa Canopi
Qualibet in Cœnà, ructatet & ebria Regnum .
Nulla modum ſervat, noſter nec ſufficit Orbis
Luxuriæ . Mauris , nigriſque petuntur ab Indis
Frivola, [17] non alio titulo placitura Maritę ,
Quam quod difficile veniunt , & pluris emuntur .
Sint meliora licet radio contexta Latino
Serica, vileſcunt, atque ipſum temnitur aurum ,
Ni

Ni pretioſa feros oleant ſegmenta Britannos ;
Aut Gallos. Satis eſt. Peregrino ſyrmate verrit
Ecce pavimentum, votiſque optata Procorum
Ambulat ingenti mulier pigmea cothurno ;
Et ſtudet impoſitis vittis, nitidiſque Mitellis
Ædificare caput. Sed cum majuſcula nupta
Intravit geniale thorum, de conjuge tantà
Dimidium infelix vix ſtringit nocte Maritus.
Altera nam prælis pars conditur, altera capſis ;
Pars quoque vicinà comitur, ſuiturque tabernà ;
Aut proſtat latis populo palpanda caniſtris,
Pixidibuſque cubat facies. Dà baſia carę
Uxori Torquate tuæ ; ſed longius uxor ;
Fiet proximior, Batavis cum venerit undis
Cymba gravis luxu, noſtriſque onerata favillis.
Expectanda tibi mox (18) eſt Albaria, pellem
Quæ liniat, ſpeculum judex, Ancillaque prima
Secreti cuſtos, (19) tortique novacula fili.
Nil, ubi deſierit, cognoſces forſan amatæ
Conjugis effigiem ; quamquam mutatur in horas ;
Et ſi feſta (20) dies jubeat, Latiæque Kalendæ,
Induit en vultus alios, frontemque recentem,
Atque oculos. Facie nunquam dormitur eâdem
Quà cenare ſolet. Miſerum ſic mille figuris
Unicà te cruciat numeroſà pellice Conjux.
Ædèpolipſe Cato, ipſe etiamHeraclitus in Urbe
Ridêret, quoties minio cretàque perunctæ
Occurrunt (21) vitreę Matres, & Plaſtica Roma.
Egregiis olim tabulis, quas livit Apelles
Vox tantum deerat ; ſed nunc Pictura movetur,
Et loquitur, veteriſque ævi miracula ridet ;
Quin Morti illudit ; nam ſi decedere leges

Fato-

Fatorum jubeant, (22) effertur perlita conchis
Purpureis, tetrumque ſubit rubicunda ſepulchrum,
Ceu thalamum virgo cupido amplexanda marito.
Dedecus eſt formæ, Veſtrique injuria vultus
Sponſæ infelices tanta quod quæritis arte;
Hinc nigri dentes, corioque ſimillima pellis,
Halitus hinc putris, & nimium feſtina ſenectus.
Cum ſurgit lecto,(23) nunquam mihi mane vidēda
Occurrat Mulier: potius Ruſinus, & ater
Ghizzius, & Burrus, notuſque proboſcide Cuſtos.
Nam qualis facies laxis pannucea buccis!
Quis color ulceribus ſimilis, ceræque recenti,
Adria quam lævi nondum candore polivit!
Quid quod mentito fulgetis honore comarum
Adſcitiſque pilis, veſtraſque Sicambria frontes
Ornat adulterio crinis, probroque capilli,
Quem forſan meretrix, & forſan vertice habebat
Carnificis conjux. Hoc eſt, quod pectine eburno
Nativum toties Poeſis diſcriminat Aurum?
Hi cordis nexus, libertatiſque catenæ?
Quiſquilias ſtulti ſequimur, longoque labore
Putrida ſectamur, potius cælanda latrinis.
Sed toleranda foret mulier quæ pulchra videri
Nititur, & mendas naturæ corrigit arte.
Quid faciunt Culices, (24) Scarabei,& Papiliones
Labra ſuper, molleſque genas? Num ſericus auget
Scorpius illecebras? lenique appenſa ſalivà
Commendat formica cutem? Putêre cadaver
Dicimus, obrêpunt cum talia corpore monſtra;
Vos vivæ hanc peſtem nudo portabitis ore,
Quam fugimus buſto, medioque videre ſepulchro?
Horridus eſt genius Matronæ. Tempora multo

Et

Et crinem (25) ſerpente colit, viridiſque ſmaragdi
Compoſitum cruſtis pretioſum ventilat Hidrum,
Et tremulas gaudet geſtare adamante Lacertas.
Tinge caput nardo, matutinàque capillos
Sparge roſà, ſi vera cupis ſuffragia formæ.
Sed quis non novit ſtomachum, & faſtidia naſi
Patricii? Periit Quintilla, & Cintia, tantum
Olfaciant (26) Mirrhę guttas, Pancheaque grana.
Hinc eſt quod ſanctum jam nulla Puerpera limen
Ingreditur, temnitque Aras cum thure ſabeo,
Et procul aſpectà Numen faſtidit acerrà.
Si quis pelliculà dextram veſtitus odorà
Conveniat quà Nupta ſedet, temerarius exi,
Intonat; ecce animam exhalo, ſuccurrite aceto,
Ferte citæ rutam famulæ. Mora nulla, piatur
Protinus accensà totum Conclave papyro,
Concurſatquę domus, donec ſufflamine, & atro
Nidore erumpat genialis anhelitus auræ,
Nullaque odoriferæ reſtet ſuſpicio labis.
Si ſapitis, tenerum geritis qui pectore vulnus,
Cirratique Proci, ſtercus redolete caninum,
Et crepitus Burri, & fędi cauteria Fuſci:
Has amat illecebras nimirum, & balſama culpat,
Et Pompejano quidquid ſtillatur aheno.
Par eſt prodigio Mulier ſi vera loquatur!
Hæc eadem ſi forte locum pertranſeat, unde [ædis
In Tyberim (27) excrementa cadunt, vel angulus
Occurrat, noſtræ quem pingunt ſigna ſalutis,
Impia nec Labarum metuunt preputia, vultus
Avertit, properatque manu ſudaria thecis
Eruere, & pavidas digito conſtringere nares.
Uſque adeo eſt impos mentis, ſequiturq; fugitq;
Sępe

Sepe eadem, pugnatque ſuis contraria votis.
  Quodque magis querimur vanæ non iſta juventæ
Mobilitas tantum, vitioque laborat eodem
Femina jam grandis natu, quam tertius urget
Annus (28) criminibus factus, noxiſque piandis.
Hac etiam quamvis calloſis aſpera rugis
Oſtendat cano pendentia ſecula crine,
Vittata incedit, vel palliolata vagatur;
Et mane Exquilias, dictumque à vimine Collem
Perreptat, morbumque ſtudet ſimulare puellæ.
Nam ſe ſe hictericam dicit, vel Menſe laborat
Difficili, & viſo pomo ſuſpirat acerbo.
O rabidam ſatiate famem, ne parvulus Infans
Nil meritus (29) Matris monumenta guloſæ
In crure, aut coxis, & fulvà pampinus vuà,
Aut parvo naſcatur meſpilus umbelico.
  Quæ ventris rabies! Nunquam fuit vſus edendi
Patriciæ major. Carnos (30) ſibi fecit amicos,
Qui Vaticano fingunt Bellaria furno,
Suſpenſamque ferunt humeris colloque Tabernam;
Inque omni trivio, tamquam Muſtela momordit
Leucophagum, & ſummis deguſtat cruſtula labris.
Sunt quæ de cuneis populo ſpectante Theatri
Inſtituunt dapibus menſam, nitidoque propinant
Eunucho, & miſeram ſpurcant aſpergine plebem.
Cum ventũ ad cenam, Soleas atq;Oſtrea damnant,
Lucrina,& Scombrum,& Latii genus omne macelli;
Suſpirantque famem Umbricii, qui vilia rodit
Tubera, & ancipiti vexat præcordia fungo.
Multis eſt toto conductus Aquarius anno,
Qui potus medicare ſolet, ſtrictiſque pruinis,
Et ſale, & adſcito condenſat frigore lymphas.

Cecuba

Cęcuba non ſitiunt, Setina aut pocula; ſolum
Intempeſtivum bibitur, ſapiuntque venena.
Hinc etiam gelidis dum verrit flatibus Urbem
Alpinus Boreas, ſudant; dum Sirius ardet,
Velantur pavidæ. Verſo ſic ordine rerum,
Julius endromidas videt, & flabella December.
Nempe adeo inualvit laſciva potentia luxus,
Ut Cœli, ſoliſque vices, & tempora mutet,
Nec niſi fęmineo cęleſtia ſidera volvi
Arbitrio credat. Quid lamentamur inepte?
Noſtra facit tumidum, noſtra indulgentia ſexum.
Eſt mulier? Nil ultra interrogo. Tranſeat, & ſe
Collocet ordinibus primis, ſedeantque ſiniſtrà
Parte Equites. Minimum eſt, niſi Vitta atque Infula ſacra
Inferior jaceat, collataque Purpura (31) Cunno.
Hoc quoque Roma videt; fors & pejora ſuperſunt,
Si penſa, & fuſum noſtras tractare maritas
Cogere cunctamur. Sed magno Livia cenſu
Nupta eſt Hygino, Patrio centeſima Ramo,
Formoſaſque manus fędari dedecet uncto
Vellere; montanas teneat res iſta Sabinas,
Non quæ pulvinar Divum premit alta Sacello,
Et ſellà auratà, vehiturque ſuperba quadrigis.
Ut libet. Interea longiſſima naſcitur inter
Quæſtio Grammaticos, utrum dicenda ſit hæc, vel
Hic mulier. Nequit inconſultà Conjuge Fronto
Aureolos ſeptem (32) Scorpo donare Magiſtro,
Qui Dominum nondum barbatum flectere Bigas,
Et docuit loro crepitanti urgere veredum.
Ipſa tamen nullis parcit rationibus Aſſem
Prodigere, & vafros fundo donare Cucullos;
Si

Si quid enim gravius nubes, & torva minatur
Aſtrorum facies, pretio eſt, nummiſque piandum;
Ac lęſis tanquam placeant muſtacea Divis,
Sępius in popanum cedit vindicta Tonantis.
Vir laceras veſtit manicas, caligaſque locatas,
Et denariolus debetur menſtruus; ipſa
Aurea pellucet, multitia candida ſumit,
Ancillaſque decem, totidemque coercet Ephebos.
Utque magis ſtupeas, acri tentigine quamvis
Ardeat, amplexus odit, tactuſque viriles,
Et jubet in ſpondà ſiccum recubare Maritum;
Aut potius (34) gemino partitur culcitra lecto
Conjugium, & ſteriles faciunt divortia plumæ.
Nunc etenim Divum cunas, Araſque colendas,
Nunc tuſſim, aut lentam cauſatur languida febrim,
Aut Menſem; ſed nil horum; ſi vera fatemur,
Lucinam Matrona timet, pueriſque creandis
Abſtinet, ut nullis ſignentur corpora rugis,
Et ſemper vivo ſubſultent lacte Papillæ.
Quod ſi forte levi corpus ſubcreſcere fętu
Incipiat, non herba deeſt, atque impia Colchis,
Quæ prolem (35) nondum maturam in ventre trucidet;
Neve ſuum amittat Veſica beata decorem,
Appia poſteritas, & Graccorum occidat ordo.
Eſt nimius pudor hic. Solo placuiſſe marito
Quæ cupit, haud dubitat rugoſum oſtendere ventrē,
Laxatique ſinus vitio mammoſa videri.
Prætereo genus infirmum, cui pectora finxit
Molle lutum, mentique dedit natura puſillæ
Impunè audendum quamplurima. Tu quoq; demēs,
Tu quoque fœmineis præſumes legibus uti
Naſica, & tenerum nugis imitabere ſexum?

K Unde

Unde hic cincinnus? docto quò pollice cultus?
Ne pudeat dominum Tonſtrinæ oſtendere. Res eſt
Digna quidem noſci, radis quò pumice barbam,
Et capras fętere vetas; nam putidus olim,
Et deformis eras, vel Rullo judice; crebri
Blattarum in facie morſus, medioque patebat
Ore ſolęciſmus naſi, quò Bellua nunquam
Majorem in denſas promit Getùla phalanges.
At nunc (36) bellus homo es;flaviq;infantia crinis,
Penulaque, & digitus multo captivus in auro,
Et quæ ſuccincto (37) deſcendit ab inguine Tigris,
Teſticulis umbram medio factura Decembri,
Te pulchrum, & nitidum præſtant; minor eſt quoq; naſus,
Æqualiſque cutis, vox clara, & digna Theatro;
Ut jam non mirer ſi propter Apollinis ædes
Purpureos ſemper ſequeris Naſica Cinedos,
Et levis erectà tranſis per compita plantà,
Ceu vitreæ pedibus phialæ, caliceſque premendi,
Nobilis Euganeo quos ſudat littore fornax.
Nec modicè oblector, cum poplite nixus in uno,
Reſpicis hinc, atque hinc, & vexas ſtridulus Aras.
Sed tandem precibus dignaris Numina. Plantus
Davidicos loculis, Puer, exere. Tendit herilem
En dextram Dominus; ſummum ne lęſeris unguem
Tu cave, & impoſitum librum ſubmitte galero.
Hæc ego vix patior cum Cotta, aut Perſicus audet,
Multa cui ad vigilem dormire moneta Columbam (38)
Dicitur, & ſeni rapiunt carpenta jugales,
Conſtipatque latus Servorum concolor ordo.
Quid ne putas de te Romanos dicere Rhoncos,
Palma-

Palmaris (39) ſamuli qui vix ſuccurrere ventri
Stulte potes, redolentq; tuæ mera Sabbata braccæ?
Ridicula eſt Romæ paupertas. Vivere pauper
Dum cupit in morem Procerum, male ſanus haberi
Incipit, & demens, atque inteſtabilis eſſe, [nam.
Dignus Anaglyptam(40)propius ſpectare Colum-
Jamque valete diu Conſortia lubrica cętus
Fœminei; vobis pharetratus militet infans,
Et niveę ſemper Charites, & gratia frontis
Profligent annos, inimicaque ſęcula formæ.
Non ego deliciis capior, nec munere veſtro
Fortunam mulcere paro, vultumque ſeverum
Aſtrorum. Faciant hoc Mamurra, & Cluvienus,
Et per Junonem ſolitus jurare Varallus,
Quique terunt juris nodos dictante puellà
Reſponſa, & ſanctas infamant cyclade Leges.
Me tenet illorum convictus, (41)crimine nullo
Qui noti, ſalibus conſpergunt otia vitæ,
Et pedibus ſilicem calcant, cunctique Philippos,
Vix centum numerant; quos nidor, & aura culinę
Parca, & inempta rapit; quos veri lumen, & æqui
Jungit amicitiæ nexu, & virtutis amore.
Hæc ego Matronis Collegia præfero. Talis
Ida tuis ſi lata foret ſententia ſilvis,
Argolicis nunquam cecidiſſent Pergama flammis.

Notae.

1. *Phylodemus apud Matronas Grecæ linguæ Magiſter.*
2. *Par Magiſtro merces.*
3. *In Cœtu Matronarum ſermonem habuit Phylodemus de præſtantia jejunii.*

 4. *Solitæ*

4. *Solitæ in Muſicis Operibus ineptiſſimæ Cantilenæ.*

5. *Reſpondet Italico Proverbio* — Andare à caſa del Diavolo per complimento.

6. *Innuit ludum nunc Romæ maximè frequentem vulgo*, Riffa.

7. *Pariſiis Romam tranſmittuntur Pupæ, vulgo*, Pupazze, *à quibus ideam ornatus deſumunt Patriciæ.*

8. *Armarium, vulgo*, Scarabattolo, *hodie maximè uſitatum apud matronas.*

9. *Fictile Hiſpanum vulgo*, Buccaro.

10. *Pueri antiquitus celebres ob exiguam ſtaturam. Hi ex ære, ſive ex luto conficiebantur. Vide Plin. lib.34. cap.8. & Mart. lib.9. Epig.51.*

11. *Matronæ ægrotantes Munuſculis variis ab Amatoribus donantur.*

12. *Medicum innuit Monoculum, in Urbe ſatis notum.*

13. *Imagines Imperatorum Achate, ſive alio pretioſo lapide inſculptæ, quibus hodie Armillas confici in uſu eſt, dictas vulgo*, Camei.

14. *Locus in Urbe celeberrimus, ubi res veſtiaria venalis proſtat, vulgo*, Torre ſanguigna.

15. *Romæ in cunctis Palatiorum foribus adſunt rimæ ad excipiendos judiciales libellos vulgo*, Citazioni.

16. *Solitum Curſorum vitium, à Ridolphino in ſua Praxi improbatum.*

17. *Flabella ex Indiis chartacea, licet nullius pretii, Romæ tamen plurimi venduntur.*

18. *Adſunt*

18. *Adſunt Romæ fœminæ quamplurimæ, quæ mercede hanc artem exercent.*

19. *Filum ſericum ad eradicandos pilos, vulgo,* Fare la pellarella.

20. *Feſtis diebus Matronæ incedere ſolent vividiori colore picturatæ.*

21. *Quia videlicet à Sole repercuſſæ, ceu Speculum micant.*

22. *Mortuæ mulieres eodem cultu, & fortaſſe majori quo vivæ incedunt, Feretro imponuntur.*

23. *Fœminæ liniri ſolitæ, cum expergiſcuntur turpiſſimæ.*

24. *Cultus in facie uſitatus vulgo,* Nei.

25. *Varia inſectorum genera gemmis compoſita ad ornatum capitis, vulgo,* Tremolanti.

26. *Delicatus Matronarum genius odores nauſeat.*

27. *In Angulis Ædium pingantur Cruces, ut illic ob reverentiam mejere prætereuntes abſtineant.*

28. *Annus Iubilei, vulgo,* Anno Santo.

29. *Pregnantes fœminæ imaginem cibi, quem appetunt fetui imprimunt, ſi in aliqua corporis parte ſe incautè tetigerint, vulgo,* Voglie.

30. *Populi vulgo,* Furlani, *qui in Urbe Piſtoriam artem exercent.*

31. *Fœminæ S. R. E. Cardinalibus præcedunt.*

32. *Celebris Domitiani tempore Auriga.*

33. *Aſtus Monacorum, qui Dei iram exagerant, ut aliquid à credulis Matronis excerpant.*

34. *Abuſus inter Conjuges Romæ frequentiſſimus.*

35. *Cave ne hoc credas de Matronis; dictum potius*

ſtudio amplificandi, quam veritatis.

36. *Cæſaries fictitia apud fœminas in uſu, vulgo,* Capo naſcente.

37. *Theca villoſa vulgo,* Manizza, *quà delicatuli utuntur ad oſtentationem potius quam neceſſitatem.*

38. *Celebris menſa nummularia, vulgo,* Banco di San Spirito.

39. *Naſica Puerum habet pediſſequum ſtaturæ palmaris.*

40. *Innuit Hoſpitium Pauperum Dementium, in cujus proſpectu Columna Antoniana.*

41. *Cœtum indicat nobiliſſimum, & magnæ Romæ extimationis, vulgo,* Criſtianelli.

SATYRA XIX.

Bibliopòla (1) mihi tecum res. Dic age; natas
Forte tuas, poſitâ ſi quis diſcurrere pallâ
Cogeret, & Latiæ vulvas oſtendere plebi;
Nonne jecur ſubitâ tibi bile tumeret, & atrox
Jam delata foret Prætori injuria? Credo,
Si quidquã cordis minimumque pudoris haberes:
At mihi bis ſeptem (2) fuerant, de conjuge muſa
Prognatæ, tenere ætatis, timidæque puellæ,
Precipuè incomptæ: neque enim criſpare capillos,
Aut medicare genas nuptis didicere Latinis.
Simplicitas erat in pretio; formoſaque forſan
Progenies poterat, donec latuiſſet, haberi.
Hanc ego ſollicitus, quin & ſecretus alebam,

Ut

Ut confirmato tandem per compita greſſu
Iret, & innumeros vultu torqueret amantes;
Neve Patri (3) officeret proles inceſta, docebam
Inguina ſuccincto velari lubrica panno;
Fingebamque rudes. At tu temerarius auſus
Filiolas Patriis (4) laribus divellere, fruſtra
Clamantes, nigri proſtare ad ſcrinia Corvi, (5)
Et vili mercede jubes vulgare pudorem.
Infelix ſoboles multum dilecta Parenti,
O quam te aſpicio! Fluxerunt ore lepores,
Et decus, (6) & niveæ ſucciſa eſt gratia frontis.
Vos minus odiſſet forſan Phylodemus, & ipſe
Naſica, obſtipus quamvis, ſimiliſque jubenti
Ambulet, & dominâ feriat (7) mihi lumina gemâ.
Talia non patiar noſtræ, Propola, (8) Camenę,
Nec pretio lætus, furtiva peculia chartis
Augebis. Pereat clausâ tibi nummus in arcâ,
Aufugiatque tuâ malè partâ pecunia dextrâ;
Aut turbę immixtus, cum publica ſacra frequentas,
Illa Crumeniſecis pateat, vulnuſque latentis
Pelliculæ, (9) attonitâ contrectes, improbe, palmâ.
Atque utinam ſolus quęreret, crimenque puſillũ
Sola foret nobis ſcribendi cauſa. Libenter
Iſta darem, patererque meas quocumque mereri
In trivio Satyras, crebrâque in corpore mendâ.
Sed quis erit, doctæ placeant cui Palladis artes,
Qui non litterulas doleat didiciſſe, velitque
Quod Piſtor ſapere, aut Lanio, Calidæve miniſter,
Cum videat tantis excreſcere pulpita libris,
Quorum vix titulis Ætas humana legendis
Ægrè ſufficeret! Felicia ſæcula! tunc cum
Scriptor in Arabico ſudabat cortice, & altè

Littera ceratis (11) hęreret fida tabellis ;
Palmarum foliis tunc cum creſcebat Ulyſſes
Męonius , damnoque Gregis : nam pellibus agnę
Tradidit Hiſtoriam Priami , Teucrùmque labores
Cęcus adulator. [12] Quid enim? perrarus,& idem
Maximus, audebat verſus tunc pangere vates ;
Scribere nam carò conſtabat; paucaque odore
Digna videbantur ſervari carmina cedro ,
Et quibus exciſa ploraret ſylva cupreſſu .
At poſtquam didicit ſollers induſtria linum
Frangere, & infuſis macerare induſia lymphis,
Inque leves abiit trita ſubucula chartas ,
Quemlibet inſanum ſcribendi urtica momordit .
Mox ſtimulos animo, & fatuę calcaria menti
Prçſtavere Typi . Vanos, hac arte repertà ,
Quiſque ſuos donat longęva ætate labores ,
Pròque uno cudit mille exemplaria verſu . [ipſe
Hinc eſt quod creſcunt numeroſa volumina , &
Pondere laxantur capſę, pluteique fatiſcunt .
Ecquis erit tandem libris modus ? Undiq; chartis
Obruimur , ſtringuntque oculos , jugulantque legentes .
Rara olim fuerat,tamen hęc ſatis amplaſupellex,
Vix duo, vel tres codiculi, ſed pollice multo
Attriti, longoque uſu, teſtiſque lucernæ
Conſpicui fumo . Vixit ſapientia quondam
In tegete, [13] & baculo, vilique legumine. Nudi
Doliolum Cinici, veluti Dodòna , ſuperbo
Ductori reſponſa dabat . Nunc ſplendida ſolis
In loculis habitat facundia . Longa librorum
Compago , [14] ordinibuſque decem ſubſtructa , decorum .

Oſten-

Oſtendat tergum, quibus aurea littera ſignet
Authoris titulum, (15) rauco ſi murmure vulgi
Tangeris. Hinc Procerum domibus ſpectanda videbis
Hæc duo: Chartarum ſeriem, magnamq;Culinam.
Nempe putat famam, numerumque augere Virorum,
Grande quibus(16)fecit temeraria Gręcia nomen,
Si quis trans alpes, & multis millibus emit
Scripta, peregrinis tantum vigilata libellis.
Delectant tituli nimirum, & margine largo
Littera, purpureęque notę, crebręque figurę.
Quodque videbatur Patribus fugienda Latinis
Barbaries, decus eſt, pretiumque Nepotibus. Ergò
Quęrimus hoc unum, cellas implere capaces
Codicibus, chartiſque novis, quas Gallia mittit,
Sedula nugarum cultrix, atque arbitra luxus;
Vel quas Hollandis mercator callidus undis
Invexit Romam, ceu piſcis dolia ſalſi,
Alecisque cadum. Mutantur opuſcula, tanquam
Rugoſum pyper, atque Aſyę bombycina. Littus
I pete Tyrrhenum; jam portat nautica Pinus
Verborum merces; ſcripto tibi ſacculus auro
Si crepat, evades Cicero, Plato, Virgiliuſque,
Et quidquid cupies; at ſi jejunus anhelat
Julius,(17)atque animam ducit moriturus in arca,
Protinus ignoras vel prima elementa, tibique
Figitur ignavę (18) cervix aurita tabellę,
Victaq;Chartago. (19) Miſeris facundia nulla eſt,
Semper & indoctus Pauper. Nam divite cenſu
Eſt opus, ut repleas tantà farragine mentem,
Conducaſque ędes amplas, luciſque benignę:

 Et

Et prò dimidio ſolvenda eſt penſio ſole,
Nè tot compoſitis digeſta volumina tignis
Blattarum fiant epulę. Multum quoque oportet
Ut caveas rimas, queis ſe de pulvere Romæ,
Inſinuat caries, librorum occulta ſenectus.
Nam ſecus ad pictam vilis membrana Carinam
Ibit,marmoreumq; pedem;[20]delataq;nunquam
Ad caros poterit doctrina migrare propinquos.
Hoc quoque divitibus pręſtat fortuna; Tabellis
Scilicet extremis virtutem tradere natis,
Cognatiſque ſuis. Miranda potentia nummi!
En ſapit [21] inſanus lurco, madiduſque popino
Fit Rhetor, ſcribę cum Teſtamenta reſignant.
At ſannæ interea hæredem, riſuſque ſequuntur,
Cum tenet inversâ ſpecioſum fronte libellum,
Nec ſatis agnoſcit nigrum quod diſtet ab albo.
Quàm ſpeculo cæcus,gaudet quam pectine calvus,
Quam ſpado concubitu, Paſtor mare, Navita aratro,
Tam Flaccus (22) libro. Cujũ,mi Flacce,volumen
Quod teris? Inſpiciam titulũ. Non dum tibi viſus?
Non ſane:quid enim? Pręſtat ſuxiſſe medullas
Auctorum: Titulos aliis, nomenque relinquo.
Bellè equidem. Dic ſaltem, num ſermone ſoluto
Ambulet, an certis numeris Oratio conſtet.
Nugaris, ſi vana hæc, & puerilia credis
Me noviſſe. Pape! Satis eſt. Tibi dexter Apollo
Hoc, Flacce, ingenium ſemper fortunet, & illud
Aſſequere,ut ſcriptum manibus,teneaſve matellam
Ignores. Juſtâ poſt hac ſe temperet irâ,
Si poterit quiſquam, videat cum nullius uſus
Librorum ſumptus, & tanquam pendula muro
Se-

Serica, vel tabulas pictas, & dedala ſigna
Servari à Domino. Accipiat quicumque vocatus
Ex Teſtamento doctrinæ turbidus aſſem,
Et dives mediis ſedeat ficulneus argis.
At mihi ſi vellent ſuperi indulgere precanti,
Mens bona contingat, vacuumque timore repulſæ
Pectus, & occulto nunquam violabile morſu.
Dent quoque ab invidia tutum, & formidine mortis
Fortunâ majorem animum. Dent vivere parvò,
Et coluiſſe pares, & reſponſare ſuperbis.
Hæc me delectat ſapientia, cordibus altè
Scripta Dei digito, quam nec Librarius udas
Ad ſtatuas vendit,(23)tacitum nec devorat ævum,
Nec metuit ſcombros. Abaci, pluteique valete,
In quibus inſanit ſtudiorum cura, dieſque
Perdimus, & longas, brumali tempore, noctes.
Num melior fiam, creſcit num parvula mentis
Uncia, ſi totò vellem pallere Decembri?
Pande librum, mediam qui Nobilis occupat arcã,
Et nitidis tunicis, & levi fronte ſuperbit.
Quæ nos ille docet? miſerum inſanire. Furores
Cypridis, & laceros morientis Adonidis artus
Explicat, & fædo marceſcit pagina luxu.
Hinc teneros *Paſtor* modulatur *Fidus* amores,
Diſcordes ſenſus, & duplex *Cælia* (25) vulnus
Illinc corde fovet. Scatet abdita peſtis ab omni
Syllabâ, & enervi titillat carmine lumbos.
Sed demus hanc veniam peccandi impunè Poetis,
Et cui præcipuus labor eſt, ut corda legentis
Pelliciat, blandâque lue contaminet aures.
Illud majori rhonco, dignumque putarem
Judi-

Judicio, & trochleâ plectendum (26) forte perun-
Scilicet obſcenâ chartas implere saginâ ctâ
Illos, humanæ qui vitæ exempla daturi,
Frontibus inſcribunt. (27) *Cenſura, & Regula morum.*
Eſt ſacer hic titulus. Scriptori plaude. Sed intus,
Si cautè inſpicias, multum carbone notandum,
Pluraque repperies, quæ caſto tincta rubore
Audiret meretrix, ne dicam filia virgo,
Ingenuuſque puer. Veneris, laſcive, figuras
Hic melius diſces, quam ſi per compita vallis, (28)
Olfaciat tepidum ſpurco centone lupanar,
Ductaque contuleris Caprarum rupe (29) metalla.
Quem præſtare poteſt (30) facundia fęda pudorem,
Aut quæ proficiunt tanto molimine? nempe
Ut pedicas tendant, & mille pericula nuptis,
Utque Pater nemo poſt hac ſine crimine fiat.
Scilicet, haud alio concubere fœmina niſu
Stulta potes, docileſque viro ſupponere lumbos,
Quam placet auſtero morum, vitæque Magiſtro.
Ille jubet ſobolis gignendæ tempus; & ille
Componit clunes, & ſanctum dirigit inguen.
Hinc expectato ſterileſcunt pignore lecti,
Aut rarus Mammæ lallat puer. Invida natos
Oſcula non pariunt; ſed blanda, & crebra voluptas,
Et totis permiſſa venus reſoluta medullis,
Patricios implet numeroſâ prole Penates.
Non herclè tali Decios, forteſque Camillos
Concubitu Matres olim peperere Latinæ,
Nec ſic audaces genuit Cornelia Graccos.
Tunc etenim multo reſonabat ſponda tremore;
Pęna-

Pęnaque nulla fuit ſævum violaſſe cadurcum.
Tunc licuere joci, potuitque oſtendere ventrem
Uxor, & in latus, aut averſa jacere, nec illi
Dedecori fuerat, torto nec fuſte piandum
Conjugium. Hæc ſoboles primi trans flumina Nili
Imperium tibi, Roma, dedit, populumq; potentem.
Ducebas fæcunda ſinu. Nunc, legibus iſtis,
Orba gemis: Nuribuſque tuis prębere Luperco
Quantumvis palmas, (31) vani eſt jactura doloris.
Quod ſi poſt ſeptem tandem vix concipit annos
Torquati, (32) Flaccique uxor, quas pojicit offas!
Lucinam accuſat genitrix, quęriturque pudendo
Succeſſore domus, quem Curatoris egere
Edixit Prætor. Lippum, & talis malè fultum,
Et ſimum videas, caluumque, & dente carentem;
Si ſapit, & cętus fugiat, nec multa loquatur:
Nam Corvi melius, [33] Picęq; & miſſus ab Indis
Pſittacus Eois reddet tibi verba. Quid ultra
Quærimus? in Thalamos adducta virgine, neſcit
Se pręſtare virum, [34] officiumq; implere Mariti.
Nam, raro coitu, minimoque è ſemine nato,
Deficiunt cerebri vires, ſuccique, medullæque,
Et piger ignaros [35] ſanguis malè circinat artus.
Sic Belli exuviis, & longo ſtemmate clarus,
Occidit Æmilius ſanguis, Brutique propago;
Et Licinus gravibus, centumque findit aratris
Jugera, jam ſterilis fieri patrimonia plorat
Relligioſa [36] domus. Faſces, ſellamque curulem
Accipiunt poſt hac pueri lenonis, & unctà
Illotàque manu moderarur frena Quiritum
Inſtitor, è medià juſſus prodire popinà.
Hæc numeroſa Typi pepererunt damna, ſupino
Indi-

Iudice, (37) & attentà populis palpantibus aure
Cenſores, dubioque ortas à crimine leges.
Nec minus iraſcor tibi, barbara (38) Curia; quãvis
Majeſtate novà videam ſpirare Tribunal,
Et ſanctis auguſta Palatia (39) moribus æques;
Cum repeto miſeri tot commentaria Juris,
Audaceſque manus, quæ Gloſſas margine toto
Micturiunt, ſpurcantque tuas novitate rubricas.
Jam nulla à calamis ſecura eſt ſanctio, nulla
Effugit inſanos (40) jam Clementina Cucullos.
Pontificum Decreta, ſacris veneranda papyris,
Tenduntur, veluti morſu Cerdonis aluta:
Pluſque ſapit, qui plus audet corrumpere leges.
Auribus o longè noſtris authentica (41) res quæ,
Caſtrenſis documenta tui (42) cautelaq; Ubaldi;
Nec ferar invisus toties audire, *vocati*
Cenſentur poſiti ſub conditione Nepotes.
Quid mihi vobiſcum ſcelerata vocabula? quare
Cauſidicus dici nequeo; ſi forte latinè
Eloquar? An non & cauſas divinus agebat
Tullius, & denſis placuit facundia Roſtris?
Credo equidem. Tamen hæc migravit ab aure
voluptas;
Roma, tuà, poſtquam Cautores, & Legulei
Civica tot nugis fœdarunt jura, decuſque
Antiquis tabulis Rabulæ eripuere forenſes.
Diſce novas artes, nec Procurator haberi
Amplius ipſe velis, librorum millia quinque
Si non emiſti. Quicumque noviſſimus exit
In pretio Auctor erit. (43) Valeant digeſta vetuſti
Codicis, aut gravidæ medicato ſulphure chartæ (44)

Feſti-

Feſtivas centum pariant per inanè favillas.
Scilicet hoc primum quærit naſutulus ille,
Cirratuſque Cliens, num ſit tibi magna, recenſq;
Bibliotheca domi. Curanda negotia nunquam
Mandabo, ſi rara tibi meritoria ſervit
Pagina, quantumvis Paulo ſis doctior. Hoc eſt
Ætatis vitium: virtutem verba putare,
Cum virtus animo ſedeat, non garrula chartis.
Sed graviora quæror. Numeros Regiſque dolentis (45)
Organa, & attriti divina piacula cordis,
Non aliis recitare notis, libriſque ſolemus,
Quam quos periuris Baſilea infida papyris
Edidit. Hos ſacrum noſtras facturus ad Aras
Myſta legit, totas Batavo dictante rubricas.
Proh pudor! Hollandæ pereant ſi forte tabernæ,
Noſtri deficiunt Ritus, mutuſque Sacerdos
Non habet arma, quibus ſuſpendat Numinis irã,
Et Cęlum tacità fruſtra demulcet acerrà.
Interea ſapiens Burrhus, Calaberque modeſtus
Quidquid (46) delirat vità donare perenni
Nititur, & ſolidis nugis, taboque cerebri
Torcular Auſonium, Romanaque præla fatigat.
Hoc quoq;bambalio mendax,volucrumq;magiſter
Audet,(47)Olympiacis tumidus Naſica corollis.
Quin Olitor,(48)Cuſtoſqu;nucũ pannoſus,& ipſe
Preco cucurbitulæ,redeunt cum feſta quotannis,
Ridiculis properant ſua nomina tradere faſtis,
Majori ſpecioſa notà, quam Claudius, & quàm
Conſpicuus(49)legeris Phariis,Agrippa,Colũnis.
Hi Domino Umbricio meriti ſolvuntur honores,
Hi Domino Antullæ. Dum baccanalia fervent,
Si

Si quid feſtivò(50)ructat turba improba plauſtro
Judicis ante fores: aut ſi dum Comptulus urget
Eſſeda,(51) derident Equitem Pallanta puellę,
Mandamus veſana Typis dicteria : menſe
Auguſti, obſcęnis laturi incommoda muſcis,
Et permiſſa volant(52)quocumq;impunè flabello.
Hinc miſeri externis meritò traducimur oris
Trojugeni. (53)Sapiunt plus torto crine ſicambri,
Cantaber,& potus de ſanguine ſarmata equorum,
Quàm nos, quos Cęli nutrivit bacca Latini,
Albanæque jecur lavimus dulcedine Teſtæ .
Vos Sinę, (54) audaces populi,rituq; prophano
Impia, & à noſtro penitus gens diſſita mundo,
Hanc primi peſtem ſonti duxiſtis ab arte ,
Ingenioque malo . In nitidas fluxiſſe patellas
Plumbea debuerat, quæ primas littera chartas
Torſit, & in nigrum ſe ſe convertere Theta,
Figendum capiti Authoris. Fortaſſe doleres [ni
Roma minus,(55)Tameſiſq;potês,& flumina Rhe-
Miſcerent ſocias patrio cum Tybride lymphas.
Magne Pater, Mundi Præſes,qui proxima Divis
Iura tenes, Regnumque tuum partiris Olympo;
Cujus Iuleæ (56) capiti naſcuntur Olivæ,
Et ſenium virtute levas, potiore juventà .
Fas mihi, non lubricos, tè vindice,plectere mores,
Aut miſeros jugulare gravi ſub lege Cucullos .
Non hæc digna tuos oculos , mentemque morarî,
Et rerum Dominam curis urgere Thiaram .
Principe te, majora petit tua Roma, manuſque
Protendit lacrymans, & anhelo ſupplicat ore:
Ut fæcem immundam Librorum , & codice multo
Exitium mentis latitans depellere cures

Urbe

Urbe procul. Noſtris de finibus exulet impos
Scribendi rabies, aut ęgro in corde ſeneſcat.
Utque mali cauſę pereant, excinde nocentes,
Vre Typos, pręlumque reum: *Naviſque* nigerque
Corvus de vacuà, meritoria ſigna, taberna
Pendère incipiat;aut longum fallere tempus [nus
Doctum, molle cicer,(57) vilis, madiduſque lupi-
Veneat hìc potius. Stomaco res iſta nocebit,
Non animo. Quantò librorum rarior uſus,
Tantò candidior populos lux alma beabit,
Puraque ab Auſoniis veniet doctrina Cathedris.

N O T AE.

1. *Editis in lucem Satyris à Triphone Bibliopòla, inſcio Authore, ſcribendi exordium deſumitur.*
2. *Nempe quatuordecim Satyræ.*
3. *Author profitetur ſe in animo habuiſſe corrigere, & ab inboneſtis mundare ſuas elucubrationes.*
4. *Invito, ſcilicet Authore.*
5. *Sub ſigno* Corvi, *celebris in Urbe Bibliothecæ.*
6. *Quia videlicet infinitis propemodum erratis ſcatet editio hujuſmodi.*
7. *Anulo ſcilicet gemmato, quem omnium oculis ingerit.*
8. *Propòla, vulgo,* Regattiere, *optimè convenit Bibliopòlæ, qui alienis laboribus proficere ſtuduit.*
9. *Apprimè deſcribitur illorum motus, quibus in Eccleſiis à Latrunculis crumena eraditur.*
10. *Pro Calida intellige uſitatum Poculum, vulgo,* Caffè.

11. *Varia ſcribendi genera antiquitus in uſu.*
12. *Homerus.*
13. *Tota Cinicorum ſuppellex.*
14. *Structura Inſignium Bibliothecarum, quæ Romæ in Procerum Ædibus plerumque viſuntur.*
15. *Libellis compactis, vulgo,* alla Franceſe, *inſcribitur à tergo aureis litteris nomen Authoris.*
16. *Septem Graeciæ Sapientum.*
17. *Reſpondet italico ſcommati,* non hai un giulio in ſaccoccia.
18. *In Scholis Ieſuitarum, Diſcipulis craſſioris Minervæ affigitur Tabella caput Aſini repreſentans.*
19. *Notum Ludimagiſtri Commentum ad terrendos pueros in re litteraria.*
20. Carina, & Pes marmoreus *loca in Urbe celeberrima, ubi libri venales.*
21. *Putant nimirum Magnates, cum relinquunt filiis ſuis inſtructam Bibliothecam ſtatim in magnos, & eruditos viros evadere, licet plerumque ineptiſſimi ſint.*
22. *Filius cujuſdam Nobilis, cui magna Bibliotheca forte relicta fuerat.*
23. *Propè celebrem Bernini Fontem in Foro Agonali ubi inſignes Statuæ veneunt liberculi, vulgo,* à i Banchetti di Piazza Navona.
24. *Indicat Marini opuſcula de Adonide.*
25. *Libellus italico carmine amatorie deſcriptus, vulgo,* La Filli di Sciro.
26. *Tormentum in Reis plectendis uſitatum.*
27. *Authores indicat, vulgo,* Moraliſti.

28. Le-

28. *Loca à Meretricibus habitata.*
29. *Tiberii Spintrias intellige.*
30. *Quia videlicet Libri Moralis Theologiæ cum de Matrimonio tractant caſtas aures offendunt.*
31. *Steriles Fœminæ antiquitùs Luperco palmàm porrigebant, credentes nimirum vi ſuperſtitioſi verberis poſſe concipere.*
32. *Sub nomine Torquati, & Flacci Nobiliores Familias indicat.*
33. *Romani plerumque bleſi.*
34. *Frequens nimium Romanæ Juventutis vitium.*
35. *Hinc deficit potentia coeundi.*
36. *Extinctis Familiis Hæreditates plerumque ad loca Pia deferuntur.*
37. *Qui Typis præeſt ſeverius agere deberet, nè Libri moralis Theologiæ in perniciem animarum ederentur.*
38. *Quia barbaris verbis plerumque utitur.*
39. *Curia Innocentiana amplæ, & inſignis ſtructuræ, ingenuis Iudicum moribus comparata.*
40. *Monachi, ſive, ut vocant, Regulares, in Cellis exiſtentes nil aliud meditantur, quàm novis, maligniſque Commentariis Ius Pontificum interpretari.*
41. *Uſitatiores formulæ, & concluſiones à Pragmaticis paſſim uſurpatæ.*
42. *Eedem formulæ, ut ſupra &c.*
43. *Vitium noſtrorum Iuriſtarum, qui Authoribus recenter editis plus æquo deferunt.*
44. *Codex Iuſtiniani, & veterum Iuris-Conſultorum inſerviunt pro ſulphuris involucro, cum*

è Ca.

è Caſtro S. Angeli publica eduntur lætitiæ ſigna, vulgo, la Girandola.

45. *Pſalmodia, ſeu ut vocant, Breviarium apud Typographos hæreticos cuditur, idem de Miſſali.*

46. *Burrhus de venatione, Phylodemus de origine Iuris ſcripſerunt, uterque ineptiſſimè.*

47. *Naſica apud Arcades lauro coronatus, dum ludi Olympiaci agerentur.*

48. *Magna Olitorum celebritas in Templo B. Virginis, quam vocant*, de Horto, *ibi Curatores feſti, quamvis homines diobolares majuſculis litteris inſcribuntur.*

49. *Inſcriptio in fronte Porticus, quam vocant*, Rotundæ.

50. *Plebis Romanæ ludicra baccanalium tempore ante Ædes Prætorianas inchoantur.*

51. *Cui non notus Hylas?*

52. *Scilicet Superiorum permiſſu..*

53. *Quia nimirum apud exteras Nationes hujuſmodi nugæ in lucem edi prohibentur.*

54. *Apud Chinarum Populos prima Typorum inventio.*

55. *Fortaſſe hæ Nationes cum Romana Eccleſia non conueniunt nimia opinionum varietate, quæ Typorum uſu vulgari cæptæ.*

56. *Ob reſtitutam Italiæ Pacem ſapientiſſimo Pontificis conſilio.*

57. *Cicer Ramæ venditur ſub vocabulo*, Ceci ſpaſſa-tempo &c.

F. I N I S.

NOMINA

Antonomaſtice Satyris attributa.

I. Atheiſmus.
II. Conſilium.
III. Exilium.
IV. Converſio.
V. Cella Calidæ.
VI. Gymnaſium.
VII. Baccanale.
VIII. Congreſſus.
IX. Criticæ.
X. Teſtamentum.
XII. Vita, & miracula
XIII. Recitatio.
XIV. Mons Citatorius.
XVI. Reſurrectio.
XVII. Luxus.
XIX. Typographia.

Protestatio Authoris.

SCiat Lector nomina quæcunque aut facta in Satyris appoſita Poetici fuiſſe partus ingenii, recreationis gratia non veritatis; & Sectanum nunquam animum habuiſſe nec minimùm quidem ledendi famam Phylodemi, aut ejus mores lacerandi. Scribit Author Poetice, ſed Catholice credit, & de ſe ipſo fateri poteſt

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA